

152 nient, dicit Dominus, & seriam domui Israel, & domui Juda factus novam; non secundum pactum, quod pepigi patribus vestris. Jer. 31. 31.

16 Sed utrum illa arbor fuerit una tantum, vel plures numero, & an ex eadem comederit Adam, antequam ejiceretur de Paradiso? Et num ipsa haberet virtutem naturalem, vel supernaturalem conservandi vitam hominum longissimo tempore? sunt quaestiones videndae apud Molinam, Pererium, & Cornelium à Lapide in d. cap. 2. Genes. Vers. 9. apud praefatum Garziam de Londogno in Synopsi ubi supra qu. 2. & Matrium de Generat. & Corrupt. d. disput. 8. num. 135. Satis enim hic est notare, quod ante transgressionem primorum parentum praeparatum erat pharmacum in illa arbor ad vivendum cum omni fanitate, ac felicitate, longissimo tempore, & multis annorum millibus; nunc autem rari sunt qui ex hominibus perveniant ad septimam eorundem aetatem.

Sed dicit aliquis: Quae, & quot sunt aetates hominum? Respondet ipse Matr. ead. disp. 8. num. 127. eas septem esse, Infantiam, Pueritiam, Adolefcentiam, Juventutem, Virilitatem, Senectutem, & Decrepitatem. Prima est infantia, quae durat ab ortu hominis usque ad annum sextum, quo tempore dicitur infans, quasi non fans, quia nascitur mutus, & usque ad dictum annum dicitur loqui, vocaturque Lunaribus nominibus humiditatem, cujus praecipua causa est Luna. Secunda est pueritia, sic dicta à puritate, durans usque ad decimum quintum circiter annum; diciturque Mercurialis, quia tunc homines incipiunt discurrere, & scientias addiscere, quibus praest Mercurius inter planetas. Tertia est adolescentia usque ad annum 21. in feminis. vel 25. in maribus à verbo adoleo, quod est thus Diis incendere; siquidem in hac aetate mares, & feminae in amore ardent, & sibi quasi odores sacros promunt, unde haec aetas appellatur Venerea, quoniam apta sit ad generationem. Quarta est Juventus usque ad annum 40. & vocatur Solaris ob floriditatem membrorum. Quinta est virilitas usque ad annum 50. ob virium fortitudinem, & tribuitur Marti cujus proprium est robur. Sexta est Senectus usque ad 65. annos; diciturque Jovialis, quia subjicitur Jovi propter gravitatem, prudentiam, & praerminentiam. Ultima est decrepitas usque ad finem vitae; & tribuitur Saturno, qui est causa frigiditatis, siccitatis, pigritiae, tristitiae, aliarumque imperfectionum, quibus decrepiti sciant. Duo tamen hic sunt notabiliter observanda, quae dicit Aristoteles de senibus in decrepita aetate constitutis: Unum est, quod hi ex parvis etiam passionibus; & morbis moriuntur, ea ratione, quia hi parum caloris habent, & hic facile extinguitur. Alterum, quod iidem senes decrepiti moriuntur sine dolore, quandoquidem defectus caloris causat in eis quandam insensibilitatem. Ita Arist. in lib. de Juventute, ac Senect. cap. 14. art. 1. num. 4. & ibi P. Silvest. Maurus Soc. Jesu tom. 4. pag. 704. idemque Matrium de Gener. Corrupt. d. disp. 8. num. 124. His addo Tertium, quod scilicet nimium gaudium, & ingens laetitia causat improvifam mortem, quia opprimit calorem naturalem. Exemplum plura de mortuis ex abrupto ob nimiam laetitiam reperit curiosus Lector apud Cornel. à Lapide Commentar. in Lucam. cap. 1. sub Vers. 47.

17 His ad ornatum materiae de morte hominum constitutis, reassumendum primam conditionem subiecti, cui ministrandum sit Oleum Sanctum, ea est, ut sit Homo Viator, idest vivens; nam homo mortuus non est capax Sacramenti Extremæ Unctionis. Hoc Theologi confirmant rationibus sequentibus. 1. Quia omnia Sacramenta sunt instituta ad salutem hominum viatorum. Ergo non mortuorum. 2. Quia Extrema Unctio delet venialia, auget gratiam, & aliquando alleviat morbum corpo-

ralem; horum autem effectuum non est capax alius, nisi homo vivens. 3. Ex dispositione necessaria in ipso subiecto, nempe actus Penitentiae, quos mortuus non habet. 4. Quia de fide definitum est in Conc. Trid. sess. 14. de Extr. Unct. cap. 3. solum hominem infirmum esse subiectum hujus Sacramenti. Non igitur penitus mortuum. 5. Quia hoc Sacramentum ex opere operato solvitur venialibus; mortui autem neque solvi, neque ligari possunt in peccatis. cap. Legatur. cap. Nec quisquam. 24. qu. 2. Tandem quia Sacramenta non possunt indignis conferri, incertum est autem, an homo mortuus decesserit in gratia, vel non; sit, vel non sit dignus. Ita Suarez in 3. par. D. Thom. d. tom. 4. disp. 42. num. 1. Matruius in 4. Sent. disp. 6. n. 104. Thom. Tamburinus de Extr. Unct. lib. 6. cap. 2. §. 1. & Eminenti. Card. de Lauræa de eod. Sacram. disp. 11. n. 143. & 144.

18 Cæterum duo videntur graviter obstat huius assertioni. Unum est, quod ex auctoritate S. Dionysii Areopagita scribit Magrius in Hieroleis. Verb. Oleum Sanctum col. 3. videlicet, quod antiquitus ungebatur Oleo Sacro cadavera Sacerdotum, ac aliorum Ecclesiasticorum. Ergo Sacramentum Extremæ Unctionis etiam mortuis datur olim, & nunc dari poterit. Verba S. Dionysii in lib. de Eccles. Hierarch. cap. 7. hæc sunt: Tum Antistes oleo mortuum perfudit, sanctaque precatione pro omnibus adhibita in loco honorato corpus cum aliis ejusdem ordinis sanctis corporibus reponit, & condit. Eiusdem unctiois mentionem facit etiam Cornelius à Lapide in Comment. Epist. 1. ad Corinthios c. 9. sub Vers. 25. ubi est auctoritate ejusdem S. Dionysii ait, quod datur omnibus Christianis post eorum mortem.

19 Alterum, quod obstat, est factum S. Theodoric Abbatis, & discipuli S. Remigii Episcopi Rheimensis in Gallia, quod contigit Anno Christi 533. & quod legitur in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedi. collectis per D. Lucam d'Achery Monachum Congregationis S. Mauri; ac notis, & observationibus D. Joannis Mabillon ejusdem Congregationis illustratis, & in feculis decem distributis, in quibus. tom. 1. feu Saeculo primo, in Vita ejusdem S. Theodoric Abbatis pag. 618. numer. 11. narratur, quod defuncto Clodoveo magno Rege Francorum, quem S. Remigius baptizaverat, & regnavit Theodorico ejus filio, hujus filia nobilis summè dilecta cum graviter infirmaretur, iussu ejusdem Regis vocatus fuit S. Remigius ad eam invifendam, ac sua benedictione sanandam. Impeditur S. Remigius aliis gravissimis Pastoralibus curis missis ad Regem S. Theodoricum discipulum suum, qui cum pervenisset ad Urbem, & ad Palatium Regis, reperit eum lugentem una cum Regina, & omnibus Principibus suis, eo quia jam puella exspiraverat, & erat mortua. Ingressus S. Theodoricus puellæ defunctæ cubiculum, & genuflexus apud lectum ipsius cepit orare ad Dominum, & post diutinam orationem, ait Auctor Historiae, Moxque sciens se exardidit, ad corpus exarime accessit, atque OLEO SANCTO in morem reconcilians quinque corporis sensus, tactu pollicis, illiecit. Mirum in modum subito membra mortua in redviam redeunt formam, oculi aperiantur, vox reseratur, & vite redditam simul cum sanitate se esse Puella obtentu B. Theodoric omnibus prædicat. Prosequitur Auctor narrare Regis, ac Reginae, Aulicorumque omnium stuporem, lætitiâ, gratiarum actiones, ac munificas elemofynas à Rege ipso pro tanto miraculo elargitas. En vigitur, quod antiquis illis temporibus etiam homini mortuo licebat Sacramentum Extremæ Unctionis ministrare.

20 His tamen minime obstantibus, contrarium omnino est tenendum; siquidem solus homo Viator, & vivens est subiectum capax ejusdem Sacramenti, ut probatum est supra. Quare responderetur

ad primum obiectum, quod illa unctio mortuorum, de qua scribit S. Dionysius Areopagita, non erat Sacramentalis, neque Extremæ Unctionis Sacramentum; sed pia, ac mystica cæremonia; fiebat enim in signum pietatis juxta antiquum morem Judæorum, qui defunctorum corpora unguentis optimis ungere solebant, prout narrat Evangelistæ de Nicodemo, ac Joseph ab Arimathea, qui Sacratissimum Redemptoris Corpus, antequam sepelirent myrrha, & aloë unxerunt, & de Sanctis mulieribus, quæ emerunt aromata, ut eandem unctioem piissimam replicarent. Habebat ulterius unctio illa, de qua loquitur S. Dionysius, mysticam significationem expressam ab eodem Sancto, ubi supra, his verbis circa Sacerdotes defunctos: At tum quidem olei perfusio ad sacra certamina eum, qui initiabatur, vocabatur: nunc autem oleum, quod infunditur, eum, qui excessu à vita, in ipsius certaminibus certasse, ac decessisse declarat. Circa verò reliquos fideles laicos ita dicit: Atque tunc quidem olei unctio baptizandum avocatur ad sacra certamina; nunc autem (in morte) infusum oleum designat eum, qui defunctus est, eadem sacra excessu certamina, siquæ fuisse consummatum. Ita transcribit Cornel. à Lapide, & Magrius locis supracitis; ex quibus verbis colligitur idem Magrius argumentum, quod etiam in primitiva Ecclesia Sacerdotes in eorum ordinatione Oleo Sacro consecrabantur, non autem sola manu Episcopi impositione; sed de hoc infra differendum erit in Decisionibus de Sacramento Ordinis.

21 Ad secundum obiectum de Oleo Sancto dato filiae defunctæ Regis Francorum à discipulo S. Remigii tripliciter responderetur. Primum, quod Unctio illa non fuerit Sacramentalis, sed medicinalis ex mera devotione; solum enim erat antiquitus ungere infirmos Oleo Lampadarum Ecclesiae, vel ab aliquo Prælato ad hunc effectum benedicto, cum invocatione aliquis Sancti, cujus ope infirmus erga ipsum devotus reportabat corporalem sanitatem, ut dictum est supra Decif. IX. num. 19. & Decif. IX. num. 19. quod advertit etiam Magrius dist. Verb. Oleum Sanctum col. 3. cujus verba ibidem retuli; addens, quod Palladius in Lausacia fide de S. Macario Alexandrino loquitur: Sicut (scilicet infirmæ) commiserans sensu precibus, & sacro Oleo eam propriis manibus ungens, ad dies viginti immunitè à malo reddidit, in Civitatem propriam dimisit. Confirmatur, quod unctio illa B. Theodoric non fuerit Sacramentalis, quia non constat, tunc cum fuisse Sacerdotem; & eo tempore Monachum, ut plurimum, imò & Abbatem ob humilitatem, quam colebat, ordinibus Sacris non initiabatur; ut legitur in iidem feculis Benedi. tom. 1. in Prefat. & traditæ Auzorius tom. 1. lib. 12. cap. 19. Vers. Undecim: Gonzalez in cap. Episcopus, 4. de Prebend. numer. 8. in fin. & Bordonus de Profess. Regul. cap. 1. numer. 6. ac numer. 31. & seqq. Non obicit id innotit Historicis in narratione illius unctiois; ait enim, quod OLEO SANCTO in morem reconcilians quinque corporis sensus tactu pollicis illiecit. Si quidem vi in morem reconcilians hunc sensum faciunt, adinstit, & ad similitudinem ministrantis Extremæ Unctionis Sacramentum. At simile non est idem. Glossa in l. Quod Nerva. & ibi Bartolus ff. Depositi. Mart. Mantua Patavinus ff. Regul. 218. Barbosa Axiom. 208. ubi DD. cumulat. Sic est quod fuerit Unctio Sacramentalis, Secundo responderetur, quod quando B. Theodoric forexit ad puellam mortuam invigendam, obtinuerat à Deo gratiam reserctiois ejus; siquæ illius anima iterum corpus informaverat, nam Historicis dicit, Moxque sciens se exardidit; & sic non mortuum, sed vivam inviguit. Responderetur Tertio, si puellam post Unctio nem tantum revivisse credamus, factum illud fuisse mirabile, non imitabile, tamquam ex Dei spe-

ciali instinctu patratum; non autem regulis juris directum. Nemo est, qui neciat à Sanctis multa fieri ex particulari motione Divina, quæ à nobis sunt miranda, non imitanda; ut notavi in Decisionibus de Baptismo Decif. LXXVII. n. 12. ubi varia exempla retuli SS. Martyrum utriusque sexus, qui ex Spiritu Sancti interna inspiratione sibi ipsi mortem dederunt; de quibus videndus Emin. Card. de Lauræa in 3. sent. part. 2. tom. 3. in trati. de Martyrio disput. 20. num. 96. nec non Cornelius à Lapide Comment. in Proverb. Salomonis cap. 31. Vers. 30. ubi narrat ex hoc Dei interno consilio plures Virgines sibi oculos eruisse, nasos truncasse, vibicibus deformasse faciem, ut præcederet incensis tentationis ansam. Et in specie, quod S. Ebba Abbatisa in Anglia Anno 870. Danis Angliam invadentibus, ut eorum lasciviam effugeret, se se cum omnibus monialibus naso, & labro superiore truncavit; quare Dani furentes cum cenobio eas omnes concremarunt, & de his alia consimilia exempla plura ibidem. Igitur non obstante factò B. Theodoric, firma, & inconcussa conclusio esse debet, quod Sacramentum Extremæ Unctionis non potest mortuis ministrari; quia solus homo Viator, idest vivens est subiectum capax ipsius.

22 Ex hac conclusione duo corollaria sunt à studiosis notanda. Unum est, quod si Parochus ceperit Oleum Sanctum ministrare infirmo, liquæ exipaverit ex abrupto antequam omnium sensuum unctioes compleantur, debet Parochus abstinere ab aliis unctioibus. Bonacina de Extrem. Unctio. pund. 5. num. 8. Gobat trati. 8. num. 876. Alterum est, quod ministratur Parochus hoc Sacramentum laboranti in extremis, si dubitet, an exipaverit, nec ne; potest sub conditione, si vivus er, illum invigere. Suarez d. disput. 42. num. 1. in fine; rationem subdens, quia generale est omnibus Sacramenti; ut in casibus dubiis possint hoc modo ministrari; nam per aduniam conditionem tollitur omne periculum irrogandi injuriam Sacramento, & ministrandi Sacramentum illo modo, vitatur periculum privandi proximum magno subsidio, & remedia suæ salutis, cuius fortasse adhuc capax est. Concordant alii DD. inter quos Tamburinus de Extrem. Unctio. cap. 1. §. 2. numer. 4. & Matruius in 4. sentent. d. disput. 6. num. 104.

D E C I S I O LXXVII.

A R G U M E N T U M.

23 Quia homo Viator, ut sit capax Extremæ Unctionis, debet esse baptizatus, disputatur. An Catechumena incognita finita Oleo Sancto in articulo mortis, validè receperit illud Sacramentum? Hac occasione varia, atque curiosa dubia deciduntur; videlicet, quo tempore sit institutum Baptismus à Christo Domino? An Apostoli baptizati fuerint ante, vel post Dominicam Passionem? Cornelius Centurio, cur receperit Spiritum Sanctum visibiliter, antequam baptizaretur? Deipara, S. Petrus, & alii Apostoli à quo sint baptizati? An validè contrahant Matrimonium Catechumini? Hi an possint excommunicari? In loco sacro sepeliri? Et accipere Indulgentias?

S U M M A R I U M.

1 Baptizatis tantum danda est Extrema Unctio. Et num. 3. & 18.

2 Baptismus est ianua aliorum Sacramentorum.

3 Fidelis, & Charitas facit homines membra Christi.

6 Cor.

- 6 Cornelio Centurioni datus Spiritus Sanctus ante Baptismum.
- 7 Confirmationis Sacramento datur Spiritus Sanctus.
- 8 Baptismi Sacramento quando fuerit à Christo institutum?
- 9 Apostoli an communicati, & ordinati ante Baptismum? Et num. 24.
- 10 Text. in cap. Veniens 3. de Presb. non ordin. examinatur.
- 11 Paulianisæ hereticæ an validè essent ordinati absque Baptismo? Et num. 34.
- 12 Judei an olim ordinarentur? Et num. 35.
- 13 Matrimonium an esse possit inter fidelem, & infidelem ex Papæ dispensatione? Et num. 36.
- 14 Sacramenta omnia constant ex materia, forma, & intentione Ministri Sed inter baptizatos tantum. num. 37.
- 15 Catechumeni an possint excommunicari? Et num. 38.
- 16 Odiâ restringenda, favores ampliandi. Et an semper? num. 40.
- 17 Catechumeni an sepeliendi in loco sacro? Et mer. 41.
- 18 Sacramenta non dantur Viatoribus non baptizatis.
- 19 Baptismi Fluminis, & Fluminis differentia.
- 20 Fides, & Charitas sine Baptismo non sufficit ad recipienda alia Sacramenta.
- 21 Baptismus Fluminis non est Sacramentum.
- 22 Cornelius Centurio non recepit Sacramentum Confirmationis antequam baptizatus fuerit.
- 23 Judei putabant gentiles non esse baptizandos.
- 24 Apostoli an baptizati ante, vel post passionem Christi?
- 25 Baptismus an institutus post Christi Resurrectionem? Quod post Resurrectionem, argumenta quinque. Eorum resolutio. num. 32.
- 26 Argumenta sex quod sit institutus ante Passionem.
- 27 Christus baptizatus in Jordane; ibi instituit Sacramentum Baptismi.
- 28 Apostoli omnes baptizati ante Passionem Christi, & à quibus?
- 29 Christus baptizavit suis manibus Deiparam ejus Matrem, & Petrum.
- 30 Joannes Baptista baptizatur à Christo.
- 31 Ordinari non possunt non baptizati.
- 32 Paulianisæ heretici cujus essent discipuli? Eorum errores.
- 33 Judei olim dignitates occupabant inter Christianos.
- 34 Matrimonium ut contraheus subsistere potest inter fidelem, & infidelem.
- 35 Excommunicari Catechumenus non potest.
- 36 Ecclesia cur in die Parasève oret pro infidelibus?
- 37 Catechumeni non sunt capaces Extreme Unionis.
- 38 Catechumeni an sint capaces Indulgentiarum?
- 39 Missa an possit celebrari pro Catechumenis.

Secundò conditio necessaria in homine Viatore, seu vivente, ad hoc ut sit capax Sacramenti Extreme Unionis, est, quod sit baptizatus: ratio manifesta est, quod sit baptizatus, non habuit ingressum in Ecclesiam; Baptismus enim est janua Ecclesiæ. cap. Præter. S. penult. dist. 32. cap. Si quis confugerit. & cap. Si quis per ignorantiam. 1. quæst. 1. Item cap. Veniens. De Presb. non baptiz. & qui non est ingressus Ecclesiam per hanc januam, non potest recipere alia Sacramenta. Hinc Eugenius IV. in

Concilio Florentino in Decretis Union. ait: Primum omnium Sacramentorum locum tenet Sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore Ecclesiæ evadimus. Et Concilium Tridentinum loquens de Sacramento hoc Extreme Unionis, sibi. 14. in proem. inquit: Sacramentum Unionis non modo Pontifici, sed totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Penitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus. Si Christianæ vitæ consummativum; ergo qui non est Christianus, & sic qui non est baptizatus, non potest illud recipere. Facit cap. Si quis inquit. 1. quæst. 1. ubi, quod Sacramenta non conferunt salutem existentia extra Ecclesiam. At qui non est baptizatus extra Ecclesiam existit. Idcirco ita concorditer docent omnes scripturæ tam Theologi Scholastici, ac Morales, quam Canonistæ. S. Thomas. 3. part. quæst. 35. artic. 3. in corpore ita scribens: Nihil potest aliquis recipere, cujus recipientem potentiam non habet: per characterem autem baptismalem efficitur homo recipientis aliorum Sacramentorum; unde qui characterem non habet, nullum aliud Sacramentum recipere potest. Et Suarez in ead. 3. part. tom. 4. disput. 42. num. 2. subdit: Indubiatum est, hoc esse de substantia Sacramenti (ut scilicet unguendo Oleo Sancto sit baptizatus) ideoque unionem sub forma verborum factam à Sacerdote circa hominem non baptizatum in re ipsa, etiamsi sit baptizatus in voto, & Catechumenus, fidelis, ac iustus, inane, nullumque Sacramentum esse, aut effectum ejus habere. Idem repetit, ac firmat Layman lib. 5. tract. 8. cap. 4. num. 1. Maffius in 4. sentent. disput. 6. num. 104. Eminentiss. Cardin. de Laurea de Extrem. Unction. disput. 11. à num. 146. & sequ. Novissimè Emmanuel Gonzalez in Commentar. super Decretal. ad cap. Veniens. 3. num. 4. de Presb. non baptizato. Et ibidem Barbofa, ubi alios Canonistas, ac Theologos cumulat.

Porrò curiosus est sequens casus, an fides? vel factus? necio. Quædam femina Turca in nostram Antenoriam Urbem advecta, & à pio, doctoque Theologo instruita de veritate catholice fidei, firmè proposuit in corde suo Baptismum suscipere, & Christianam religionem profiteri. Anterior improvisa, violentaque febri oppressa, cum sit pauperissima, ad Hospitalis S. Francisçi deferretur, ubi illam grave delirium mentis apprehendit, quod à Medicis mortale renuntiat: reverendus Curatus pii Hospitalis credens hanc infirmam esse christianam, cum nec ejus Sacramentalem confessionem possit recipere, neque ei Sacramentum Viaticum valeat præbere ob delirium mentis; ministrat ipsi Extreme Unionis Sacramentum? Quæritur an validè? Et prima fronte videtur affirmativè, respondendum ex sequentibus.

Primò, quia hæc Catechumena Turca, cum jam proposuerit in corde suo firmè christianam religionem profiteri, & Baptismum suscipere censeatur baptizata Baptismo Fluminis, & consecuta gratiam justificantem, quæ delet originale peccatum, ac mortalia. Scotus in 4. dist. 4. quæst. 6. & dist. 17. quæst. Unica. Latè Eminentiss. Cardin. de Laurea de Baptismo disput. art. 10. per totum. Ergo validè recepit Sacramentum Extreme Unionis, & ejus effectum præcipuum, qui est remissio venialium.

Secundò, Extrema Unctio danda est fidelibus, qui sunt membra Christi. Sed fides, & charitas facit, quod homines sint membra Christi. Eminent. Card. de Lugo de Eucharistia disput. 12. Sess. 1. n. 3. Ergo prædicta femina Turca habens fidem, & charitatem, tanquam membrum Christi effecta, validè unctà fuit Oleo Extreme Unionis.

Tertiò, sola fides & charitas in corde videtur sufficere.

sufficere absque Baptismo ad alia Sacramenta recipienda exemplo Cornelii Centurionis, qui ex prædicatione sibi facta à Divo Petro cum credidisset in corde suo, & alii, qui cum ipso erant, receperunt statim visibilem Spiritum Sanctum, & sic Sacramentum Confirmationis, antequam baptizarentur; ut legitur Act. 10. 44. ibi: Adhuc loquens Petrus verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum, & obstupuerunt ex circumfusione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est; audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.

Illapsus autem ille Spiritus Sancti significare videtur Sacramentum Confirmationis, cujus effectus est impertiri Spiritum Sanctum, juxta illud Act. 8. 15. Cum audisset Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem; qui cum venerissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, & Vers. 18. Tunc imponebant manus super illos, (idest ministrando illis Confirmationis Sacramentum) & accipiebant Spiritum Sanctum. Idemque habetur de habitantibus Ephesi, de quibus ait Scriptura Act. 19. 7. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Igitur Cornelius Centurio, & qui cum eo crederant, receperunt Sacramentum Confirmationis antequam baptizarentur.

Quartò: Imò omnes Apostoli antequam fuissent baptizati susceperunt Sacramentum Eucharistiæ, & Ordinis secundum illam opinionem Doctorum, qui tenent, Sacramentum Baptismi fuisse institutum tantummodo à Christo Domino post ejus resurrectionem à mortuis, quando præcepit ipsidem Apostolis, quod docerent omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Matth. 28. 19. Et tamen ipsi Apostoli fuerunt communicati, & ordinati in cena ante passionem Salvatoris. Luc. 22. 19. quam opinionem probabilem vocat S. Thomas 3. p. q. 73. art. 5. ad 4. & eam tenet Canus de Locis Theolog. lib. 8. cap. 5. atque illam probat Rupertus lib. 8. in Joan. cap. 3. Ergò multò magis ante Baptismum poterit validè recipi Sacramentum Extreme Unionis à Catechumena, quæ jam in corde suo proposuerat suscipere Baptismum, & habebat fidem credendo articulus ejus sibi à Theologo insinuatus.

Quintò: Faciunt verba Innocentii Papæ III. relata in cit. cap. Veniens 3. De Presb. non ordin. quæ sunt hujusmodi: Porrò cum non solum per Sacramentum Fidei, sed per Fidem etiam Sacramenti efficitur procul dubio membrum Christi, & qui Christum habet per fidem, est Baptismus non habet, habet utique fundamentum, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus JESUS, superedificari posse videtur, sicut salutifera opera, sic & quelibet Ecclesiastica Sacramenta; cum illud non sit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus Sacramentis, quod Baptismus sit fundamentum illorum, quoniam & Sacramentum conjugii, & Eucharistiæ à non baptizatis recipi potest. Igitur secundum verba hujus textus validè collatum censetur Sacramentum Extreme Unionis prædictæ mulieri catechumena.

Sextò: Videtur huic opinioni favere etiam Verba Canonis 19. Concilii Niceni; cujus Canonis verba habentur in cap. Si quis confugerit. 1. quæst. 1. & leguntur tom. 1. Concilior. post Concil. Carthaginens. VI. pag. mibi 882. in quo, dum decernitur, quid agendum de Paulianisitis ordinatis, & non baptizatis, qui ad Ecclesiam revertuntur? præcipitur quod rebaptizentur, deinde dicitur: Si vero examinasti (ab Episcopo Catholico) eos non esse aptos deprehendisti, deponi eos oportet. Si itaque sunt deponendi, sequitur quod ante Baptismum validè fuerant ordinati.

Septimò addi potest can. 14. Concilii Matifonensis 1. (tom. 2. Concil. pag. 841.) in quo statuitur, quod Judæi compellantur exhibere reverentiam, & honorem cunctis Clericis, ac Sacerdotibus Domini; deinde ponuntur hæc verba: Nec ante Sacerdotes consilium, nisi ordinati, habere presument. Ergo si non possunt Judæi habere præcedentiam in sedendo supra Sacerdotes, nisi sint ordinati, dicendum venit, quod iidem Judæi tunc temporis Ordines Ecclesiasticos suscipiebant.

Octavò facit, Quod ex dispensatione Pontificia potest esse Matrimonium validum, si contrahatur inter fidelem, & infidelem. Eminentiss. Cardin. de Lugo d. disput. 13. de Sacram. Euchar. num. 6. 13. Collegium Salmanticense de Matrim. tract. 9. cap. 12. num. 74. Sed Matrimonium est Sacramentum; ergo sicut infidelis validè illud recipit; ita catechumena Sacramentum Extreme Unionis.

Nonò adducitur illa regula generalis, ex definitione Conciliorum præcipue Florentino, & Tridentino deducta, quod omnia Sacramenta ad sui validitatem tria tantùm requirunt, idest materiam, formam, ac intentionem Ministri. Eminentiss. Cardin. de Laurea de Sacram. in genere disp. 11. num. 83. Sed in casu hujus Turcæ catechumena habetur materia, forma, & intentio ministri inientis illam Oleo Sancto, ut recipiat Sacramentum Extreme Unionis. Ergo videtur dicendum, quod validè recipiatur ab ipsa.

Decimò tandem urget, Quod Catechumenus ex eo quia censetur habere fidem articulorum, & eos credere, reputatur unus de fidelibus, & potest esse communicari secundum probabilem opinionem Doctorum, quos allegat Suarez de Conjuris disput. 5. Sess. 1. num. 25. in fin. & tradidit Archidiaconus in cap. Eos de Consecrat. dist. 4. Ergo à contrario sensu poterit catechumenus communicare cum fidelibus saltem in Sacramento Extreme Unionis, quod confertur per viam deprecationis, & formam precum, ac supplicationum ad Deum; Ecclesia enim orat etiam pro Catechumenis, ut in feria sexta Parasève; eò magis, quia odia, & penæ 16 sunt restringendæ, favores autem, gratiæ, & animæ præsidia dilatandæ. cap. Odiâ de Regul. Jur. in 6. Et sicut Catechumenus post mortem participat cum christianis baptizatis de eorum Ecclesiastica sepultura, ut tenent, ac docent Barbofa de Episcop. alleg. 28. num. 53. Pax Jordanus tom. 1. 17. lib. 5. tit. 12. num. 120. Thesaurus de Penit. part. 2. Verb. Sepultura. cap. 6. Vers. limita; & alii plures DD. congesti per Passerium iidem consentientem de Pollut. Eccles. disp. 8. cap. 24. num. 4. ita antequam moriatur, poterit participare cum iidem fidelibus saltem de Sacramento Extreme Unionis, ut ejus anima roboretur in fide contra tentationes dæmonum.

His tamen minimè obstantibus firma remanet superior conclusio, quod homo Viator non baptizatus non est subiectum capax Extreme Unionis, & aliorumve Sacramentorum, quorum janua est Baptismus; & qui per hanc januam non intrat, non habet aditum ad alia Sacramenta. Neque obstat primum argumentum contrarium, quod illa Catechumena sit baptizata baptismò Fluminis, ac receperit deletionem peccati originalis, ac mortalia; quia Baptismus Fluminis operatur quidem illos effectus justificationis, atque remissionis culpæ, non autem alios, qui sunt proprii Baptismi Fluminis, videlicet impressionis characteris; aggregatio- nis externæ ad cœtum aliorum fidelium; ingressus visibilis in Ecclesiam, & habitatis, ad participanda alia Sacramenta; ut bene differunt Eminentiss. Cardin. de Lugo de Euchar. d. disput. 13. num. 4. & 5. & Gonzalez in d. Comment. ad cap. Veniens. 3. num. 4. de Presb. non ordin.

Secundum argumentum pariter tollitur supradicta ratione, quia Fides, & Charitas facit membrum Christi quod ad intra, & ad effectum fruendi eius meritis per consecrationem eius invisibilis gratiae in anima; seculus autem ad extra, quo ad participationem Sacramentorum, quae sunt signacula externa, visibilia, & sensibilia, quibus tamquam reuera aliqua fideles denotantur esse in Ecclesia, & solentur communionem honorum eiusdem: ideo qui non sunt aggregati eidem Ecclesiae per signaculum exterius, & visibile, quod est Baptismus Aquarum, non possunt participare de aliis signis exterioribus, quae operantur gratiam in anima, scilicet de caeteris Sacramentis; ideo omnes Theologi notant, quod Baptismus flaminis habet vim Sacramenti quo ad internam gratiam, & remissionem culpae, ac poenarum; sed non habet essentiam Sacramenti, liquidem non est Sacramentum, non imprimat characterem, neque omnes alios effectus operatur, quos producit Baptismus fluminis, ut bene ait Collegium Salmanticense de Baptismo tract. 2. cap. 1. num. 2. Mastrius in 4. Sent. disput. 2. qu. 7. art. 1. & Eminentiss. Cardin. de Lauraea de Baptismo disput. 8. art. 10.

Tertium non obstat, quia respondetur, Cornelium Centurionem, & eos, qui cum illo crediderunt in Christum, praedicante Divo Petro; receperunt quidem effectum Sacramenti Confirmationis praecipuum, nempe Spiritum Sanctum; non autem Sacramentum ipsum Confirmationis, alioquin eius effectus, & eo minus characterem, qui imprimitur in anima confirmati, quando recipitur dicitur Sacramentum: & hic notandum est, quod ille lapsus ille Spiritus Sancti in Cornelium ante Baptismum fuit privilegium speciale ei concessum, ut fideles de circumfusione intelligerent, etiam Gentilibus vocari à Deo ad Ecclesiam, & ei esse aggregandos per Baptismum; putabant enim Iudaei, se solos esse vocatos, ac legem Evangelicam esse promulgatam tantum pro ipsi sicut factum fuerat de Moysae. Idcirco ita scribit Cornelius à Lapide Comment. in Act. Apost. cap. 10. Vers. 44. Ita disposuit Deus; ut Iudaei Petrum non possent arguere, quod eos in potestate gentiles baptizasset, & Christianismo iniecerit, cum viderent in eos iam ante descendisse Spiritum Sanctum, qui suo descensu eos sibi in filios adoptabat; itaque significabat, eos in Ecclesiam suam esse cooptandos. Sequitur ex his, quod sicut Cornelius, & alii eius nationis post receptum visibiliter Spiritum Sanctum fuerunt baptizati Baptismo aquae, ut denotat ibidem Scriptura Sacra, subdens quod tunc S. Petrus dixit: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos? Act. 10. 47. ita eisdem post receptum Baptismum, receperunt Sacramentum Confirmationis, per manum Apostoli Petri illidem datum; prout faciebant alii Apostoli, dum confirmabant fideles baptizatos, per impositionem manuum, scilicet eos Sacro Chrismate signando, ut etiam S. Paulus, & alii relati in contrario argumento.

Quartum non obstat, quia negatur, Apostolos receperunt Sacramenta Venerabilis Eucharistiae, & Ordinis Sacri antequam Baptismo fluminis baptizarentur. Pro intelligentia sciendum, controversiam fuisse apud antiquos Patres, quo tempore institutum sit à Christo Sacramentum Baptismi? Et utrum Apostoli baptizati fuerint ante Christi passionem, vel tantummodo post eius gloriosam Resurrectionem? & equidem multi DD. opinati sunt institutionem Baptismi factam fuisse à Christo tantummodo post eius Resurrectionem, quando dixit Apostolus Matth. 28. 19. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quod scripsit etiam Divus Marcus

16. 15. Et dixit eis (scilicet Christus) Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creature. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Et per consequens, Apostolos ante Christi passionem non fuisse baptizatos. Probant haec opinionem. 1. Quia dicitur Joan. 7. 39. Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Sed per Baptismum datur Spiritus Sanctus. Ergo solum post gloriosam Resurrectionem Christi institutum est Baptismus. 2. Quia causam suam effectus non praecedunt. Sed Baptismus habet causam, & efficaciam à Passione Christi. Ergo ante illam institutus non fuit. 3. Baptismus non potuit institui, nisi traderetur ejus forma. Sed haec tradita est tantum post Christi Resurrectionem, ut in supradictis verbis Matth. 28. 19. Ergo 4. Omnia Sacramenta fluxerunt à latere Christi, quod apertum fuit à lancea, dum penderet in Cruce. Igitur Baptismus non est institutus ante, sed post eius passionem. 5. Baptismus est Sacramentum necessitatis, quod obligat omnes. Sed haec obligatio non incipit ante passionem, sed post Christi Resurrectionem: ibid. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Marc. 16. 15. Ergo non ante passionem, sed post, institutum fuit Baptismi Sacramentum. Ex his ita opinatus est Tertullianus lib. de Baptismo cap. 11. S. Hieronymus in Dial. contra Luciferianos; S. Jo. Chrysost. Hom. 28. in Joan. & alii, quos citat Cornelius à Lapide in Act. Apost. cap. 1. Vers. 5. & Suarez de Baptismo disp. 19. Sect. 1.

Alii è contra constant tenent, quod licet demonstrari non possit ex scriptura, vel traditione tempus praecipuum, in quo Christus instituit Sacramentum Baptismi; tamen verior, & probabilior opinio est, quod ante eius passionem fuerit institutum; est obligatio ipsum suscipiendi non sit imposita, nisi post Resurrectionem. Id probant: 1. Quia Circumcisio fuit instituta multo ante promulgationem legis Moysae. Ergo etiam Baptismus figuratus in illa multo ante promulgationem legis Evangelicae. 2. Ex S. Joann. 3. 22. ubi ait: Post haec venit Jesus, & discipuli eius in Iudaea terram, & illic demonstrabat eum eis, & baptizabat. Ergo eo tempore Christus instituit Sacramentum Baptismi. 3. Quia discipuli Joannis Baptistae emulatione commoti propter hunc Baptismum Christi, dixerunt ad illum: Rabbi; qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Joan. 3. 26. Ergo erat à Christo institutum Baptismus. 4. Quia subdit idem Evangelista Joan. 4. 1. Audierunt Pharisei, quod Jesus plures discipulos facit, & baptizat. Ergo ante passionem fuit facta Baptismi institutio. 5. Quia scribit S. Lucas cap. 10. Vers. 1. quod Christus misit discipulos binos ante faciem suam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipse venturus. Unde S. Bonaventura in 4. dist. 3. quest. 1. ait: Misit ad praedicandum, & baptizandum, quia hoc ordine fit introitus in Ecclesiam; scilicet per susceptionem doctrinae fidei, & Baptismi. 6. Quia Christus dixerat Nicodemus Jo. 3. Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Per haec verba intelligebat Dominus insinuate Nicodemus necessitatem Sacramenti Baptismi, Ergo jam erat institutum. His, & aliis probationibus haec opinionem tenet S. Augustinus lib. de Origine Animae cap. 9. nec non Epiph. 108. & Epiph. 163. Glossa, Lyranus, S. Cyrillus, S. Gregorius Nazianzenus, & alii, quos citant, & sequuntur Suarez de Baptismo, seu in 3. part. D. Thom. tom. 3. disput. 19. sect. 1. & Collegium Salmanticense de Sacrament. in gen. tract. 2. cap. 1. à num. 18. & seqq. ubi num. 24. ex S. Thoma 3. p. qu. 66. art. 2. ostendit, Baptis-

28 Baptismi Sacramentum fuisse institutum, quando Christus voluit baptizari in Jordane à Joanne Baptista; tunc enim dedit virtutem Aquae ad regenerandos homines spiritualiter, & eos mundandi à peccatis, & num. 33. citat Sotum, Cajetanum, Ledesimam, Candidum, Vasquezium, Bonacinam, Gonetum, & alios sic sentientes. Concordant Scotus in 4. dist. 3. qu. 4. & ibi S. Bonaventura, Alex. de Ales, & alii allegati ab Eminentiss. Cardin. de Lauraea, qui pariter ita sentit de Baptismo disp. 12. artic. ult.

Ex his omnes Theologi, ac Scripturistae colligunt, SS. Apostolos fuisse baptismo Christi regeneratos, antequam eos communicaret in Cena, ordinaret Sacerdotes, ac Episcopos, daretque eis potestatem remittendi peccata, & certa, & inconcussa regula, quod Baptismus est janua, & fundamentum aliorum Sacramentorum, quorum nullum valide recipi potest, nisi prius receptum sit Baptisma. Et ad hunc propositum haec scribit Cornelius à Lapide in d. Comment. Act. Apost. cap. 1. Vers. 5. (Et idem docet Suarez in 3. p. D. Thom. tom. 2. disp. 18. sect. 3.) videlicet: Quocirca S. Eudius successor S. Petri in Cathedra Antiocheni, Epistola, quae inscribitur ad eos, idest Lumen, esserit, Christum suis manibus baptizasse ex mulieribus solum Virginem Matrem suam; ex viris solum Petrum; Petrum autem baptizasse Andream, Jacobum, & Joannem, & hos tres baptizasse reliquos Apostolos. Idem scripsit in Comment. in Matth. 3. 14. addens, ad illa verba S. Joannis Baptista, qui dixerat Christo petenti baptismum in Jordane: Ego à 31 te debeo baptizari, & tu venis ad me? Hinc nonnulli colligunt, Baptismum paulo post à Christo fuisse baptizatum. Adipiscitur his omnibus Suarez d. disput. 19. sect. 2. confirmans, quod licet sit de fide, Sacramentum Baptismi fuisse institutum à Christo Domino ex Concilio Trident. sess. 7. Can. 1. de Sacram. tempus tamen hujuscemodi institutionis non esse dogma fidei; sed ferè omnes SS. Patres, ac DD. quos ibi aliecit, docere, quod Christus illud instituit ante suam passionem, etsi noloerit, ad ipsum homines esse praesice obligatos, nisi post suam Ascensionem in Caelum.

Argumentum verò in contrarium facta facile tolluntur: nam ad 1. Respondetur, quod Spiritus Sanctus nondum erat datus visibiliter prout in die Pentecostes; seculus autem per internam gratiam, & remissionem peccatorum, prout datus fuit Magdalene; ac ita dabatur illis, qui recipiebant baptismum Christi ante eius passionem, & Resurrectionem. Ad 2. Quod Baptismus habebat suam efficaciam à Passione praevisa, ac futura Christi; nec non ab initio eius vitae, quae tota fuit continuum sacrificium, & Passio, habens merita infinita ad salvandos peccatores. Ad 3. Quod forma baptismi tradita fuit à Christo, quando ante Passionem docuit discipulos suos baptizare homines, ut tenet S. Thomas in 4. dist. 3. art. 5. quaestione 2. Ad 4. Quod Sacramenta fluxerunt à latere Christi ob completam ejus Passionem dum miles lancea ejus latus aperuit, sed coeperunt habere suam efficaciam etiam ante ejus Passionem, ut de Eucharistia in Cena, quae illam praecessit. Ad 5. Verum esse, quod praecipuum baptismi non obligaverit, nisi post Resurrectionem Christi, sed ejusdem institutione facta fuit ante Passionem; ut probatum est supra rationibus, & DD. auctoritate.

Quintum principale argumentum contrarium desumptum ex verbis Innoc. III. in cap. Veniens. 3. de Presb. non ordin. non subsistit, quia Papa refert tantum verba illorum, qui opinabantur, receptum fuisse valide Ordinis Sacramentum à non baptizato; sed non approbat eorum opinionem; imò ibi amplectitur contrariam, & sic tacite illam reprobat; nam ordinari non potest non baptizatus.

Sextum argumentum cadit; quia Canon ille Con-

cilii Niceni vel loquitur de depositione lato modo sumpta, idest de non admisione ad ordines illorum, qui fuerunt haeretici Paulianistae; quamvis postea rebaptizati. Sciat studiosus Lector, quod Paulianistae erant discipuli Pauli Samosatani haeretici, qui negabat personas Sanctissimae Trinitatis, & docebat, baptismum dari in nomine Dei; ideo invalide: propterea in Concilio Niceno decretum fuit, ut ipsi haeretici Paulianistae venientes ad gremium Ecclesiae rebaptizarentur, ut latius deserit Eminentiss. Cardin. Baron. in Annalib. ad Annum 265. & ibi Spondan. nec non Salletes de S. Inquisit. lib. 3. regul. 232. n. 168. Itaque praecipit Concilium Nicenum, quod Paulianistae rebaptizati non initiarentur ordinibus. Vel dici potest, quod mandaverit eos deponi, si forte post rebaptizationem fuissent ab aliquo Episcopo ordinati, & non essent apti ad exercitium ordinum. Ita ex Theodoro Balsamone respondet Gonzalez in Comment. ad d. cap. Veniens. de Presb. non Ord. num. 5.

Septimum de Judaeis ordinatis non subsistit, quia non loquitur Concilium de ordinibus Ecclesiasticis, qui Sacramentum sunt, receptis in Judaismo; sed vel de ordinibus laicis, idest Praedictis, dignitatibus, seu aliis gradibus, ad quos Judaei, pecunia mediante, ascendissent, ut illis temporibus, ac regionibus erat tunc in usu; quorum gradum praetextu federe audebant supra Clericos, ac Sacerdotes. Vel nisi post susceptum baptismum ipsi Judaei fuissent ordinati. Aut tertio per ly Ordinati Concilium intellexerit, quod Judaei non audent ferre coram Sacerdotibus, nisi ipsi ex benignitate ordinarentur, idest inuenerunt se federent: quod ego verius puto, ultra ea, quae dicit Gonzalez ibi. num. 5.

Octavum pariter tollitur respondendo; quod Matrimonium illud censetur validum quo ad infidelem in genere contractus, non autem in genere Sacramenti, cujus non est capax infidelis, qui nondum receipt baptismum. Ita S. Thomas in 4. dist. 39. quaest. Unica art. 1. ad 5. & quest. 59. art. 1. ad 5. Bonacina, & alii apud ipsum Collegium Salmanticense. dist. tract. 9. de Matrim. cap. 12. num. 73. Novissime Justus de Dispensat. Matrim. cap. 15. n. 3. & ibi Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 8. Hinc si Baptizatus contrahebat Matrimonium cum catechumena effect invalidum. Idem Sanchez disp. 71. lib. 7. & Ricciulli de Pers. extra grem. Eccl. lib. 2. cap. 2. num. 9.

Nonum cadit, quia regula illa habet inter fideles suscipientes Sacramenta; seculus cum infidelibus, qui ante susceptum baptismum Fluminis sunt incapaces aliorum Sacramentorum, ut supra probatum est.

Decimum, & ultimum argumentum plura dicit, sed nihil concludit. Nam quod Catechumenus possit excommunicari, non est verum, ut ait Suarez de Conjuris d. disput. 5. sect. 1. num. 25. ubi reprobat Archidiaconum absque fundamento id asserentem. Ratio est manifestata, quia praecipuus effectus excommunicationis est privare participatione passiva Sacramentorum; Catechumenus autem non participat de Sacramentis. Quod Ecclesia oret pro ipso in die Parasceves, hoc facit, quia ea die Christus in Cruce pro omnibus oravit, ut ex Aleuino notat Gavantus in Rubr. Miss. part. 4. tit. 9. num. 9. Quod favores sint ampliandi est regula habens locum, quando Jus publicum non resistit, ut ait Dynus num. 3. ad illam: Sed Jus publicum Divinum, ac Ecclesiasticum non permittit, ut Sacramenta dentur non baptizatis. Quo verò ad Ecclesiasticam sepulturam, quae secundum opinionem Passerini conceditur ab Ecclesia Catechumenis, eod quod sunt in utero ejus edendi per baptismum. l. 3. Cod. Ne Sacrum baptis. secundum alios DD. contrarium tenendum, ut videre est apud Ricciulli de Personis extra Eccl. grem. lib. 3. cap. 4. num. 35. & cap. 8. num. 9. Sed

Sed quid sit de sepultura, ex hoc adu materna pietatis in illos, non potest inferi ad Jus consequendi etiam Sacramentum Extremæ Unctionis, si ante mortem non obtinuerint Sacram Lavacrum Baptismi, quia nondum sunt ingressi Ecclesiam ipsam per janam Sacramentorum, & sic remanent post mortem in cœmeterio quo ad sepulturam ex speciali favore, ut differunt DD. quos cumulat ipsemet Pascherinus de Pollut. Eccl. d. disput. 8. cap. 24. num. 4. Quapropter conclusio firma, & inconcussa remanet, quod Catechumenæ, de qua in hypothesi, invalide ministratum fuit Oleum Sanctum; sique Curatus Hospitalis eam agnovisset, omnino abstinendum erat per eam ab administratione illius Sacramenti, & ejus loco debebat, illam Sacramento baptismi ad spiritum vitam regenerare; attentio ejus firmo proposito suscipiendi baptismum, & Religionem christianam proficendi. Porro post datum baptismum, potuisse illam Oleo Sancto inungere concedit Tambur. de Extrem. Unct. libr. 6. cap. 2. num. 3. & Gobat traç. 8. num. 821. & alii DD. plurimi apud Dianam Coordin. tom. 2. traç. 4. resol. 46. & 47. fide utrum animæ ejusdem Catechumenæ possent applicari Indulgentiæ per modum suffragii? Afirmat 43 Navarrus in Comment. de Jubileo notab. 31. num. 48. & notab. 32. num. 10. Henriquez de Indulg. lib. 7. cap. 20. n. 8. Sed negant Suarez in 3. p. D. Thom. d. tom. 4. disput. 53. scilicet. 4. num. 8. Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 37. num. 36. & 37. S. Anton. & Turcreem quos citat, & sequitur idem Ricciullus d. lib. 3. de Personis extra Eccl. grem. exist. cap. 6. 44 qui antea cap. 5. probaverat, neque Missam esse celebrandam pro Catechumenis defunctis: quamvis extra Missam liceat pro eis orare; cum ob baptismum flammis, quo censetur salvi, possint à pœnis ob aliquam negligentiam purgandis in alia vita, per orationes. privatæ fidelium sublevari.

DECISIO LXXVIII.
ARGUMENTUM.

Discutitur pulchra Questio, An infantes, & pueri ante usum rationis valide recipiant Sacramentum Extremæ Unctionis? Argumenta tria pro opinione affirmativa, quæ rejicitur, & redduntur rationes pro negativa. An DEIPARA receperit Extremam Unctionem? Motiva, ac Doctores hinc inde. Usus rationis in pueris quo antea presumendum ad effectum, eos ungenti Oleo Sancto? Morientibus eodem tempore Adulto, ac Puero septuaginta, cui prius fuit ministranda Extrema Unctio?

SUMMARIUM.

- 1 Infantes, & pueri usum rationis non habentes sunt incapaces Extremæ Unctionis. Et cur? num. 11.
- 2 Pueri, & infantes valide confirmantur, & inchoantur Ordinibus.
- 3 Pueri, & infantes an capaces gratiæ Sacramenti Extremæ Unctionis? Et n. 6. & n. 9.
- 4 MARIA Virgo Mater Dei an receperit Extremam Unctionem? Et num. 14. & 16.
- 5 Differentia inter effectus Extremæ Unctionis, ac Confirmationis, & Ordinis.
- 7 Baptismus valide datur etiam non habenti peccata. Et cur? num. 12.
- 8 Extrema Unctio valide confertur homini sancto peccata non habenti.
- 9 Gratia, quæ datur in Sacramentis, est ad peculiare effectus eorum.
- 10 Gratia in Sacramentis est ejusdem speciei; non eorundem effectuum.

- 11 Pueri, & infantes cur non sint capaces Extremæ Unctionis?
- 12 Extrema Unctio quid prodest hominibus justis?
- 13 MARIA Virgo mater Dei non obit ex morbo, sed ex nimio Dei amore.
- 17 Aetas puerorum pro danda iisdem Extrema Unctione.
- 18 Pueris danda Extrema Unctio sub conditione, si capax es.
- 19 Adulto morienti, an puero agonizanti sit prius danda à Parocho Extrema Unctio.
- 20 Succurrendum prius est magis indigenti.

Tertia conditio necessaria in Subiecto recepturo Extremæ Unctionis Sacramentum, ad hoc ut sit capax, est quod in adulta ætate sit constitutus; siquidem infantes, & pueri, qui ad usum rationis non pervenerunt, incapaces sunt hujus Sacramenti, ut concorditer docent omnes Doctores infra citandi. Hujus autem necessariae conditionis plures ab iisdem DD. assignantur rationes. 1. Quia Sacramentum hoc est confirmativum Penitentiae, ut patet ex Concil. Tridentino sess. 14. de Sacrament. Extr. Unct. in princ. Sed infantes, & pueri ante usum rationis dari non potest Sacramentum Penitentiae. Ergo neque Extrema Unctio. 2. Quia præcipuus effectus hujus Sacramenti est remittere venialia. Sed infantes, ac pueri prædicti neque venialiter peccasse præsumuntur. 3. Quia Extrema Unctio datur ad præbendum robur animæ adversus diaboli tentationes. Sed has pati non possunt, qui usum rationis non habent. 4. Ad hoc Sacramentum recipiendum requiritur aliqua devotio, aut actualis, aut virtualis; aut præsens, aut præterita. Sed pueri non habentes usum rationis, seu infantes em elicere non valent. 5. Quia etiam petitio hujus Sacramenti vel expressa, vel saltem tacita videtur requiri ad illud recipiendum; cum dicat Apostolus, Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesie, id est petat, advocet, deprecetur, ut vos Oleo Sancto inungant. Igitur ex his rationibus, infantes, & pueros in ætate adulta non constitutos, incapaces esse Sacramenti Extremæ Unctionis firmiter Suarez in 3. parti. tom. 4. disput. 42. scilicet. 1. num. 2. Thomas Tamburin. libr. 6. de Extrem. Unctio. cap. 2. §. 3. Bonacina de eod. Sacrament. disput. 8. quest. Unic. punct. 5. num. 1. Layman lib. 5. traç. 8. cap. 4. n. 2. Mastrius in 4. Sent. disp. 6. num. 105. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa in 4. tom. 3. de Extrem. Unctio. disput. 11. num. 151.

Sed contra prædictam conclusionem tria obstat videntur. Primum est, quod pueri, & infantes si de facto confirmantur, vel ordinibus inchoantur, valide recipiunt tum Sacramentum Confirmationis, tum Sacramentum Ordinis. Mastrius dicit disput. 6. num. 107. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 3. disput. 9. num. 15. & 16. Ergo valide recipere possunt etiam Sacramentum Extremæ Unctionis. Secundum est; quamvis parvuli non sint capaces deletionis peccatorum, tamen capaces sunt gratiæ, & augmenti ejus provenientis ex Extremæ Unctionis Sacramento. Ergo valide possunt illud recipere. Tertium Deipara nullum unquam commisit peccatum, neque originale, neque actuale, & tamen in fine vitæ limitam fuisse Extremæ Unctionis Sacramento testatur Albertus Magnus, quem citat, & sequitur S. Antonius 3. p. tit. 14. cap. 8. §. 3. Bernardinus de Busto, Canisius, Silvester, & alii, quos allegat, & quibus adherent Suarez in 3. parti. tom. 2. disp. 18. scilicet. 3. Cornelius à Lapide Comment. in Epistol. D. Jacobi cap. 5. Vers. 2. & Batradas in Evangel. tom. 1. lib. 10. cap. 6.

His tamen minimè obstantibus inconcussa remanet antedicta conditio de necessitate usum rationis, seu adultæ ætatis in subiecto recepturo Extremæ Unctionis.

mam Unctionem: & ad primum argumentum contrarium respondetur negando paritatem inter hoc Sacramentum, & illa Confirmationis, & Ordinis: siquidem Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem; atque ideò nullum est inconveniens, quod pueri, & infantes possint hæc Sacramenta valide suscipere; simulque eorum gratiam Sacramentalem. Illa enim tribuit jus ad habenda quædam auxilia pro ritè exercendis eorum actibus tempore opportuno; & quamvis pro illo, statu infantes, puerivè non sint capaces exercendi hujusmodi actus, possunt tamen eis valide prædicta Sacramenta conferri, quia per se sunt in via perveniendi ad ætatem adultam, in qua poterunt actus illos exercere, ratione utriusque characteris in eis indelebiter impressi. At vtrò Sacramentum Extremæ Unctionis non imprimi characterem, ratione cuius sit irreiterabile, & conferat jus ad auxilia quædam habenda pro certis actibus futuro tempore exercendis, quorum in præsentibus ipsi infantes non sunt capaces. Præterquam quod Extrema Unctio datur infirmis præcipue in remedium eorum peccatorum, quæ jam ab eis commissa sunt; sed iisdem infantes hoc remedio non egent, cum nulla commiserint peccata; unde in illis neque posset verificari forma Sacramenti hujus, scilicet *Indulget tibi Dominus quidquid deliquisti*. Ita Mastrius d. disp. 6. num. 107.

Secundum argumentum contrarium difficilius est, quam appareat, ut ait Eminent. Cardin. de Lauræa d. disp. 11. de Extr. Unct. num. 153; quia negari non potest, effectum communem Sacramentorum esse gratiam, ideòque parum refert, quod parvuli non habeant venialia delenda, dummodo recipientes Extremam Unctionem recipiant gratiam. Augetur difficultas, quia idem dicendum esset de Baptismo respectu ejus, cui per vehementem contritionem, & baptismum in voto fuisse deletum originale, & tamen si huic conferatur, est verum Sacramentum, & suum producit effectum. Imò addere possumus, quod idem absurdum sæpe sequeretur in ipsam Unctione Extrema, cum ministratur homini pio, & innocenti, confessio, accontrito, earenti etiam venialibus, vel quia submisit ea clavibus, vel quia aliis mediis penitentiam ea expiavit; siquidem in hoc pio homine non essent venialia per Extremam Unctionem delenda, & tamen ei ministrata, esset verum Sacramentum.

Oportet igitur pro resolutione argumenti recurrere ad institutionem Sacramentorum; & advertere, quod Sacramenta sunt quidem instituta ad causandam gratiam, non quomodocumque, sed gratiam necessariam ad aliquem peculiarem effectum proprium illius Sacramenti. Verbi gratia, Baptismus datus est ad causandam gratiam, qua deletur originale, & reliqua actualia. Penitentia ad causandam gratiam, qua deletur sola actualia. Confirmatio ad causandam gratiam, cum qua datur robur, seu jus ad illud pro opportuno tempore ad fidem proficiendam; & ita de reliquis; adeo ut et si gratia causata ab omnibus Sacramentis sit ejusdem speciei, tamen ipsa non operetur in omnibus Sacramentis eodem effectus, sed illos distinctos, qui sunt proprii unicuique Sacramenti. Hoc ergo stante respondeatur ad argumentum contrarium dicendo, quod Extrema Unctio instituta est ad causandam gratiam secundum se deletivam venialium ab homine capaci ad confortandum illum contra tentationes, & ad alleviandam animam, ut constat ex Verbis Divi Jacobi Apostoli, & Concilii Tridentini d. sess. 14. in Preem. Extr. Unct. Cùm itaque infantes, & pueri non sint capaces Venialium, neque tentationum, neque consilii cum dæmone in articulo mortis, per consequens neque capaces sunt recipiendi gratiam Sacramenti Extremæ Unctionis: nam hoc Sacramentum tribuit illam gratiam tan-

tum, quæ operatur prædictos effectus deletivos venialium, confortativos contra infidias dæmonum, & alleviativos infirmi quo ad terrores conscientie, ab iisdem dæmonibus excitatos, & per consequens Sacramentum Extremæ Unctionis non est institutum pro parvulis, aut infantibus usum rationis non habentibus; quibus si daretur, esset omnino frustratorium. Neque stringit exemplum de Baptismo, si adultus illum recipiens jam delisset originale, & actualia per sufficientem dolorem cum baptismo in voto; quia per accidens est, quod non reperiantur peccata delenda, & interim imprimit characterem in anima, qui est alius effectus proprius baptismi. Pari modo Extrema Unctio data homini pio, & sancto, si non reperit peccata delenda in ipso, ipsum tamen manit adversus tentationes diaboli, & alleviat ejus animam in consilio illo cum morte, & sic non est frustratoria, & causat effectus proprios gratiæ, quæ ei datur in ipsa Extrema Unctione. Ita Eminent. Cardin. de Lauræa d. disp. 11. num. 154. & 155. & Mastrius d. disp. 6. num. 106.

Ad Tertium argumentum respondetur, non deesse alios DD. præter citatos in illo, qui opinantur, Sanctissimam Virginem MARIAM Matrem Dei non fuisse limitam Oleo Sancto in extremo Vitæ, & non suscepisse hoc Sacramentum Extremæ Unctionis. 1. Quia cum sit institutum ad delendas reliquias peccatorum, Deipara eo non indigebat, quia nunquam peccaverat. 2. Quia in ipsa non poterat verificari forma hujus Sacramenti, & fuisse indecentia dicere, *Indulget tibi Dominus quidquid per Visum, alioquin sensus deliquisti*. 3. Quia Deipara non timebat tentationes diaboli; quò imò contra eam stare non poterat, quæ erat *Terribilis, ut Castrorum acies ordinata*. Cantic. 16. 9. 4. Quia Mater Dei non eguit confortatione, aut alleviatione in morbo; siquidem obit sine morbo, & expiravit ex amore, & desiderio fruendi Christo Filio suo. En ejus verba ad S. Birgitam in Revelat. libr. 6. cap. 62. *Cum quadam die, lapsis aliquibus annis post Ascensionem Filii mei multum anxier de desiderio perveniendi ad eundem Filium meum; vidi Angelum fulgentem, sicut antea videram, qui dixit mihi: Filius tuus, qui est Deus, & Dominus noster, misit me nuntiare tibi, quod tempus jam est, quo corporaliter venies ad eum, ad recipiendam coronam Tibi preparatam. Et paulò infra: Cùmque quadam die animus meus suspensus esset in admiratione Divine charitatis, tunc Anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat. Et in ipsa consideratione Anima mea à corpore fuit soluta. Igitur Deiparam nec eguisse Sacramentum Extremæ Unctionis, nec illud recepisse opinari sunt Paludan. in 4. dist. 23. q. 3. art. 2. Gabriel in Supplem. q. 1. dub. 3. & Victoria in Summa num. 222. quibus addendi sunt ex modernis Sanctius in Selectis disp. 27. num. 20. Valquez tom. 2. in 3. parti. disp. 119. cap. 8. Narbona de Aetate ad Annum 90. n. 3. Collegium Salmanticen. de Sacram. in gen. traç. 7. cap. 4. n. 5. ubi alios Theologos citat, & Mastrius d. disp. 6. num. 115.*

Nihilominus quidquid sit de his opinionibus, cum utraque probabilis censetur à Thoma Tamburino d. lib. 6. de Extr. Unct. cap. 2. §. 3. Rationes pro affirmativa sunt, quod licet Sanctissima Virgo Mater Dei non indigeret hoc Sacramento pro remissione culpæ, à quibus omnino fuit immunis, neque ad roborandam animam contra tentationes diaboli, aut alleviandam in infirmitate, quam non habuit; nihilominus voluerit devotè ipsum suscipere mortis suæ die appropinquante, tum ut præberet fructibus exemplum humilitatis; tum ut frueretur meritum Christi Filii sui, à quo fuit institutum hoc Sacramentum, quo utique capax erat tamquam creatura humana, et si Sanctissima, & expers cuiuscumque

peccati: satis enim est ad capacitatem, ut ex humana conditione poterit peccare, tentari, & infirmitate urgeri; quamvis ex sublimi prerogativa sue Dignitatis, & ex superabundantia Divinae gratiae, ac donorum Spiritus Sancti subiecta non fuerit huicmodi miseris animae, vel corporis, ut latius differunt DD. in tertio argumento allegati; & in specie Suarez d. tom. 2. disp. 18. scilicet. 2. Cornelius à Lapide d. Comment. in Epist. D. Jacobi cap. 5. sub Vers. 2. & Eminent. Cardin. de Lauræa d. disp. 11. de Extrem. Unct. num. 176. ubi etiam reddit rationem, propter quam ipsam Sanctissima Virgo receperit Baptismum, quo non egebat, cum esset concepta abique peccato originali, & semper servata incepta, ac libera ab omni culpa actuali. Nec facit amaritudinem forma Sacramenti Extremæ Unctionis; nam ajunt DD. prædicti, quod verba *Quidquid deliquisti*, intelligenda veniunt sub conditione, scilicet *si deliquisti*. Igitur reassumendo materiam, firma consistit illa tertia conditio, quod pueris non est ministranda Extrema Unctio, antequam pervenerint ad adultam ætatem, & affectu sint Usus Rationis.

Sed dicit aliquis, In qua ætate Pueri censendi sunt habere usum rationis, & esse capaces Sacramenti Extremæ Unctionis? Huic quaestio respondens Narbona de *Etate Ann. 7. q. 8.* ait duas esse opiniones Theologorum. Una, quod tunc censentur habiles ad recipiendam Extremam Unctionem, quando reputantur tales ad sumendam Sacrosanctam Eucharistiam, videelicet post duodecimum saltem annum. Ita Sotus in 4. Sent. disp. 23. q. 2. art. 2. col. ult. Vers. *si fueras*. Vivaldus in *Candelabr. Aur. de Extr. Unct. cap. de Suscipiente n. 2.* Et alii plures, quos cumulat Narbona d. quest. 8. n. 2. & Diana Coordinatus tom. 2. tr. 4. ref. 44. quæ in inordinato, seu Diana veteri existit in part. 3. traid. 6. resol. 89. Altera opinio est, attendendam illam ætatem, in qua pueri sunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ, & incipiunt confiteri culpas suas etiam veniales; idest in sexto, vel septimo anno secundum majorem, vel minorem vivacitatem intellectus eorum; ob illam manifestam rationem, quod Sacramentum Extremæ Unctionis est consummativum Pœnitentiæ, & cui hæc ministratur, eodem magis illud dicitur potest, ut sustinet Layman d. lib. 6. traid. 7. c. 4. n. 2. Melchior. Zambranus *de Casib. occur. temp. mort.* & alii apud Dianam Coordinatum d. tom. 2. traid. 4. resol. 44. & 45. Idem docet Narbona de *Etate d. Anno VII. quest. 8. num. 3.* alios DD. modernos cumulat; & Sancius in *Selestis d. disp. 27. num. 15.* Et hæc secunda opinio est amplectenda, quam etiam docet Gobat d. traid. 8. num. 822.

Duo autem sunt notata digna, quæ supradicti DD. dicunt circa Extremam Unctionem pueris dandam. Unum est, quod si Parochus sit dubius, an puer habeat usum rationis, & an sit capax, vel non hujus Sacramenti? debet illud ei ministrare sub conditione, *si capax est?* Ita Sancius d. disp. 27. num. 17. Diana Coordinatus d. tom. 2. traid. 4. resol. 43. & resol. 45. & Emin. Cardin. de Lugo de *Eucharistia disp. 13. scilicet. 4. num. 41.* ubi idem esse servandum circa Sacrum Viaticum eidem puero exhibendum. Alterum est, quod si uno, & eodem tempore Parochus vocetur ad dandum Oleum Sanctum tum adulto agonizanti, qui confessus, & communicatus fuit; tum puero in agonia pariter constituto, qui neque confessionem, neque communionem fecit, tenetur Parochus prius ministrare Sacramentum Extremæ Unctionis huic puero annorum sex, vel septem, qui Sacramento Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ non potuit recipere; quam adulto prædicto; ea ratione, quia iste puer, (qui ex defectu loquelæ supponitur non posse confiteri, neque Sacrum Viaticum recipere) censetur magis indigere auxilio Sacramenti Extremæ Unctionis tum ad delendam venialia, tum ad robur animæ in eo mortis articulo; quam ille adultus, qui alia Sa-

cramenta recepit, & plus indigenti est prius succurrendum. S. Thom. 2. 2. q. 32. & 33. ut fufius differit Sancius d. disp. 27. num. 11. & 12.

DECISIO LXXIX.

ARGUMENTUM.

Quia Extrema Unctio ministranda est tantummodo infirmis gravi morbo, non autem levi laborantibus, proponuntur, ac resolvuntur objecta de S. Hedwige, de S. Malachia, & de Græcis, qui etiam sanos, ac levi dolore affictos Oleo Sancto inungunt. Ostenditur, Unctiones illas Græcorum non esse Sacramentum, sed Sacramentalia. Referuntur plures casus, in quibus ob improvisam accidentia danda est Extrema Unctio, nempe in fluxu sanguinis et naribus, in puerperio, morfu viperæ, deliquio, timore apoplexiæ. Docetur, quando eadem sit ministranda Ebriosis, Phthiricis, Hydroticis, pestiferatis, ac senibus. Tandem notatur dote Casus, in quibus etiam Rei damnati ad mortem Oleo Sancto possunt liniri.

SUMMARIUM.

- 1 Infirmitas ex morbo periculoso danda Unctio Extrema.
- 2 Sanis hominibus nec licitè, nec validè datur Extrema Unctio.
- 3 Infirmitas tantum cur Extrema Unctio datur?
- 4 Infirmitas levi ægritudine non ungitur Oleo Sancto.
- 5 Secula Benedictina, quæ sunt in Monasterio S. Justine de Padua, laudata.
- 6 S. Hedwige Ducissa Poloniae cur data Extrema Unctio sine infirmitate?
- 7 S. Malachias cur dedit Extremam Unctionem puellæ resuscitate? & num. 14.
- 8 Græci inungunt Oleo Sancto etiam sanos.
- 9 Græci intelligunt Verba S. Jacobi Infirmum quis in vobis decet etiam de anime infirmitate, idest de peccatis; sed male. num. 19.
- 10 Sanctorum plura facta admiranda, non imitanda.
- 11 Proximè occingendus habetur pro accingendo.
- 12 Sponse fundus dicitur fundus dotalis.
- 13 S. Hedwige in Confessorius debuit credere circa petitionem Olei Sancti?
- 14 Græcorum Unctiones cum Oleo Sancto non sunt Sacramenta, sed Sacramentalia.
- 15 Innocentius VIII. Bulla cur non prohibeat Græcis ungeri sanos Oleo Sancto?
- 16 Oleo Sancto antiquitè tamquam Sacramentali etiam Latini utuntur.
- 17 S. Gotardus Episcopus adhibet Oleum Sacrum pro dolore oculorum.
- 18 Deipara an receperit Extremam Unctionem?
- 19 Sanguinis fluxus magnus in naribus sufficit pro dando Oleo Sancto.
- 20 Puerperæ quando possit dari Extrema Unctio?
- 21 Vultere mortali sauciati Oleo Sancto sunt linendi.
- 22 Viperae morfus est mortalis, & sufficiens pro dando Extrema Unctio.
- 23 Felix pili si deglutiantur, sunt venenosi, ac mortales.
- 24 Deliquio oppressis an dandum Oleum Sanctum?
- 25 Apoplexiæ timentes an Oleo Sancto muniantur?
- 26 Ebrietate percutibus an danda Unctio Extrema?

- 29 Sal in vino causat ebrietatem.
- 30 Ebriosis an Sacramenta ministranda?
- 31 Ebriosis casus curiosus, ad quem Oleo Sancto ungentum Auctor vocatus fuit.
- 32 Phthirici, ac hydrotici quando sint ungenti Oleo Sancto? Item peste afflati, & nimio senio confecti?
- 33 Moriturus per manus Carnificis non ministratur Extrema Unctio.
- 34 Rei à Carnifice trucidandi in duobus casibus Oleo Sancto ungenti.
- 35 Rota ferro armata conquassantur, & trucidantur homicide in Germania, & Francia.
- 36 Ossifragio Reus decumbentibus Extrema Unctio ministranda.
- 37 Mulier, que aliam occiderat, rotata à Carnifice. Tormentum rotæ antiquissimum.

Quarta conditio necessaria in homine Viatore, baptizato, ac adulto, Sacramentum Extremæ Unctionis recepturo, est, ut ipse sit infirmus, ac probabiliter morti proximus, ob periculofam infirmitatem. Quapropter occasione hujus quartæ conditionis de tribus generibus personarum disputant Doctores, an iis Extrema Unctio sit ministranda? Videlicet

- 1 De Sanis morali mortis periculoso exponentibus?
- 2 De Morientibus non ex irriseca corporis ægritudine; sed ex extrinseco imortale accidente?
- 3 De Reis morte pleñendis per manum Carnificis.

Quo ad Primum: Sanis, seu personis in sanitate corporali constitutis Extrema Unctio nec licitè, nec validè ministrari potest, ut concorditer docent DD. infra citandi, qui exemplificant de illo, qui longe, ac periculose navigationi se exponeret, vel in magna maris tempestate, ac vicino naufragio reperiretur; sive periculofum prælium intraret, in quo probabiliter sint morituri. Ratio, propter quam nullus horum Oleo Sancto potest liniri, est; quia hoc Sacramentum institutum est pro morituris ex infirmitate, ut ait Divus Jacobus cap. 5. Vers. 2. ibi: *Infirmum quis in vobis*. Unde Concilium Florentinum ait: *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timeatur, datur non debet.* Et Concilium Tridentinum: *Non nisi infirmis, qui in exitu vite constituti videantur. Si igitur infirmis, ergo non sanis; & ratio rationis est, cur infirmis tantum naturaliter, non autem aliis, violenter ex hac vita, qui sanitati pollent, discessurus paratum fuerit hoc remedium; quia per ægritudinis molestias corporei sensus adeo doloribus, & anxietatibus opprimi solent, ut facillime laborerent in desperationem; & satis difficulter resisterent tentationibus diaboli, nisi hoc celestis remedi adjuvarentur, animam alleviantem, & confortantem. Hæc incommoda in sanis, etsi decessuris, prorūs cessant, cum integris sensibus, & plenè usu rationis moriantur; quare divina gratia suffulsi ex opere operantis his omnibus incommodis possunt occurrere. Ita ex Scholasticis S. Thomas in *Supplum. 3. p. q. 32. art. 1. & 2.* Matruius in 4. Sent. disp. 6. num. 112. Eminen. Cardin. de Lauræa de *Extr. Unct. disp. 11. num. 163.* Ex Moralibus autem Thom. Gamburtius de *Triplici Jure lib. 6. cap. 12. §. 5. & Tòbitus in *Experim. Theol. traid. 8. a. num. 823.* & sequ. ubi alios citat.**

Porrò advertendum est, dum hoc dicimus Sacramentum Extremæ Unctionis non esse dandum sanis, sed tantum infirmis; quod non omnibus infirmis, levi ægritudine gravatis est ministrandum, sed tantummodo infirmis periculose decumbentibus, ut ex verbis utriusque Concilii Florentini, ac Tridentini supra relatis colligitur, & notant antedicti Doctores. Siquidem Lutherus fuit, qui causam convitiandi catholicos quaerens, in *lib. de Captivitat. Babil.* quibuscumque etiam leviter infirmantibus Sacramentum hoc Extremæ Unctionis dandum scripsit: *Apostolus (inquiens) in hoc ungit; & orari præcipit, ut infirmus sanetur, & allevietur, hoc est, non moriatur.* Illi contra dicunt, non esse dandum Unctionem nisi decessuris, hoc est, ut non sanentur, & allevientur. Lutherum sequutus est in hoc errore Calvinus, (ut diximus supra Decif. 74. num. 32.) qui *lib. 4. Instit. cap. 19.* hæc contra Catholicos effutens, ait: *Jacobus omnes infirmos vult ungi; isti non infirmos, sed semimortua cadavera sua pinguedine insciunt, cum jamjam anima in primoribus labris laborat, vel, ut ipsi loquuntur, in extremis.* Utriusque verba supradicta refert Ivenin in *Comment. Histor. & Dogm. de Sacram. Extremæ Unctionis. quest. 7. cap. 1. tom. 2.* Cæterum calumniæ sunt horum hæresiarum; quia Ecclesia Catholica semper in usu habuit ministrare hoc Sacramentum non leviter ægrotantibus, sed graviter decumbentibus, & quando morbus ex prudenti Medicorum, ac Parochorum judicio periculofus reputatur; ut manifestè constat ex vitis Sanctorum, collectis tum per Laurentium Surium, tum per doctissimum Bollandum, ac recentissimè per eruditissimos Monachos Congregationis S. Mauri D. Lucam d'Achery, & D. Joannem Mabillon in *Seculis Benedictinorum*, impressis *Lueticæ Parisiorum Anno 1669.* in nobilissima Bibliotheca Monasterii S. Justine de Padua existentibus, in quibus frequenter legitur, ab Anno Christi 500. usque in præsentem diem, quod Sancti Episcopi, Abbates, Prælati, ac animarum Pastores præbebant Sacramentum Extremæ Unctionis infirmis, & ab his flagitabatur, non in initio morbi, aut levis infirmitatis; sed quando ægritudo ita urgebat, ut viciniam esse mortem designaret; & exempla plura hujus veritatis transcribit ex SS. Patribus Ivenin in *d. Commentar. Histor. & Dogmat. quest. 9. cap. 2. concl. 2.* Hinc ferè omnes DD. docent, quod si ungitur Oleo Sancto infirmus, de cuius infirmitate nullum sit periculum nec in re, nec in prudenti assentimento opinione, Unctio ipsa non solum sit illicita, sed etiam invalida, ut bene demonstrat Suarez tom. 4. in 3. par. D. Thomæ disp. 42. scilicet. 2. Gobatus d. traid. 8. num. 834. Castropalaus de *Extr. Unct. disp. unice. punct. 6. num. 13.* Tamburin. d. lib. 6. cap. 12. §. 5. Matruius d. disp. 6. num. 114. & Eminen. Cardin. de Lauræa d. disp. 11. num. 163. præter alios Theologos Morales, quos citat, & sequitur Diana part. 9. traid. 6. resol. 44. quæ refidet in Coordinati operis tom. 2. traid. 4. resol. 38. ubi concludentes rationes adducit pro expectando periculo infirmitatis, ad hoc ut validè conferatur hoc Sacramentum.

Sed contra hanc doctrinam objicit aliquis: Primum exemplum S. Hedwigis Ducissæ Poloniae relatum tum à Surio in ejus *vita die 15. Octobris cap. 8.* tum à P. Gobato d. traid. 8. de *Extr. Unct. n. 855.* his verbis: *Priusquam Sancta Hedwige Ducissa Poloniae ullo morbo tentaretur, cognito tamen divinitus, & morbum, & mortem imminere, petiit ungi extremè.* Et satisfactum est ejus desiderio, & Oleo Sancto unctæ est. Igitur non tam infirmis periculose decumbentibus, quam etiam sanis potest Unctio Extrema ministrari. Secundò exemplum S. Malachiae, de quo supra Decif. 74. num. 35. relatum ab eodem Gobato d. traid. 8. num. 935. & ab Ivenin de *Extr. Unct. quest. 9. d. cap. 2. col. 6.* Ipse enim Sanctus Malachias Episcopus cum suis lacrymis, ac precibus obtinisset à Deo resurrectionem de morte ad vitam Matronæ unius, quæ decesserat abque Sacramento Extremæ Unctionis; *Mans facta* (sunt verba S. Bernardi Abbatis factum S. Malachiae re-

ferentis) aperuit oculos, quæ fuerat mortua, & agni-
to Malachia, inclinans devotè salutatus eum; & ver-
to iudicium in gaudium, super apprehendit omnes; &
UNXIT eam nihilominus, sciens in hoc Sacramento
remitti peccata, & quòd Oratio fidei salvat infirmum.
Si igitur resurrexerat, quæ fuerat mortua; non erat
amplius infirma; reddita erat ad vitam, restituta
ad sanitatem; & nihilominus eam UNXIT S. Ma-
lachias. Ergo etiam sanis, vel saltem ubi non est
periculum mortis ministrari potest Extrema Unctio.
8 Tertio obijciunt exemplum Græcorum, ac Ecclesiæ
Orientalis, in qua confertur Sacramentum Extre-
mæ Unctionis personis in bona sanitate constitu-
tis, tum feria quinta in Cena Domini statim post
consecrationem Oleorum: tum ad libitum Sacerdotis,
quando poenitentes confessi sunt peccata sua;
applicando Unctionem illam in partem poenitentia-
e; tum etiam in quacumque levi ægrotudine, &
minimo dolore capitis. De primis ait Goar in no-
tis ad Officium S. Olei: Unumquemque Oleo Sancto
ab Episcopo benedicto se se in Ecclesia Orientali un-
guentum offerre Feria V. in Cena Domini: unctorem-
que hujusmodi, ut peccatorum antidotum, & Sancti-
tatis largitricem Sacri Communioni præviam Episco-
porum manu suscipere. Et Leo Allatus de Eccl.
Occident. & Orient. perpet. consens. cap. 16. hæc
habet: Non tantum infirmos, sed sanos quoque ho-
mines Extrema Unctione, & septuaginta (Græci) un-
guent. De secundis idem Goar ubi proxime ita sub-
dit: Ritus, quo ægrius subditi peccatis, licet
sint ex omni parte sani, quia tamen egrotorum deli-
ctis Sanctam Unctionem curare voverunt, illam dein-
ceps pro canone, id est pro poenitentia acceptant; &
Sacerdotibus tota precibus hæum serio se expian-
do, & infirmorum unctio velut adversa anima vi-
litudine affectus, & medicandis offerunt. Quippe Græci
ea verba S. Jacobi, Infirmum quis in vobis &c.
interpretantur non tantum de infirmitate corporis,
quantum de ægrotudine animæ, quæ sunt peccata;
quare etiam Job Monachus in Contemplat. Septem
Myster. Eccl. scribit: Tempus autem, quo oportet
suscepere Eucharistiam, (id est Olei Sancti Sacramen-
tum) tota est mortalium vita post peccatum ad extre-
mum usque spatium. De tertis antedictis Goar par-
titer testatur: Officio peracto, (scilicet dum mori-
bundus Oleo Sancto est unctus) ex adstantibus
plurique, vel spiritualis benedictionis obtinenda, vel
levi alicujus doloris eos afflictiis leniendi gratia,
Unctionis medela se curari exoptant; quod postea Sa-
cerdotes, eadem oratione ac super egros recitata com-
plent. Ea itaque quòd Græci Oleo Sancto linunt,
& sanos, & levi morbo affectos, ut latius diffi-
cultè prælaudatus Ivenin d. quest. 7. cap. 2. Quamvis
objici potest, quòd dictum est supra de DEIPA-
RA Decif. LXXVIII. num. 14. & 15. Eam, etiam
nullam corporis ægrotudinem passam, Olei Sacri
mysterium suscipisse.

Sed his objectionibus non obstantibus subsistit
quarta conditio, de qua agimus, ad validam mini-
strationem Sacramenti Extremæ Unctionis; quòd
scilicet illud recepturus non sit sanus; sed gravi,
ac periculosa corporis infirmitate laboret; & ad
10 primum objectum, seu Exemplum S. Heduvigis re-
sponderetur, multa Sanctorum facta esse admiranda,
non imitanda, ut dictum est paulò ante Decif.
LXXVI. num. 30. & advertunt Lessius de Just. &
Jur. libr. 2. cap. 9. num. 23. Emin. Card. de Lugo
cod. tract. disp. 10. num. 16. & Gobatus tract. 2.
num. 631. idcirco S. Heduvigis sicut divinitus agno-
verat, se brevi infirmam, ac morituram, ita
divino instinctu petiit, se Sacra Unctione muniri.
Nisi ulterius dicamus, quòd jam certior facta à
Deo de imminente corporis morbo, poterat infir-
ma reputari juxta regulam: Proximè accingendus ha-
11 betur pro accincto. l. penult. ff. de Milit. testam. Jas.

in Auth. Si qua mulier. C. de Sacrosanct. Ecclif.
num. 23. Illustrissimus Comes Jacobus Caius Uni-
versis, (olim Primarius Lector Juris Civilis in
hoc Publico Gymnasio Patavino, eloquentia, ac
Jurisprudencia sydis præfulgens, Præceptor meus,
ac ad Lauream mei Doctoratus Promotor humanis-
simus) in suis Lucubr. Var. ad Rubr. ff. solut.
Matrim. ubi ex hac regula probat, fundum, ac præ-
dium sponse reputari dotale ob proximitatem futu-
ri Matrimonii; idcirco etiam Sancta Heduvigis,
cùm proxima esset ejus mortalis infirmitas, potuit
tamquam infirma Oleo Sancto liniri. At P. Gobat-
us d. tract. 8. num. 873. scribit, quòd Sacerdos
non tenebatur credere S. Heduvigis eam à Spiritu
14 Sancto instigari ad petendum quidpiam repugnans
divinis litteris, seuque totius Christianitatis;
quamvis illum excuset, cùm eo tempore non effet
tam clarè definitum, prout postea in Concilio Flo-
rentino, hoc Sacramentum non esse conferendum
nisi actu infirmis. Ad factum S. Malachias idem-
met Gobatus cod. tract. 8. num. 937. respondet,
Sanctum illum Antistitem credidisse, mox iterum
Matronam resuscitam esse morituram, vel quòd
Christus dispensavit in eo casu, ut etiam non in-
firmæ Sacramentum Extremæ Unctionis ministrari-
ret, & hanc suam dispensationem eidem Sancto ma-
nifestavit. Dicendum, putò, quòd S. Malachias rep-
aravit ipsam periculoso morbo adque detineri; ait
enim Historia (cujus Auctor censetur melioribus S.
Bernardus) quòd S. Malachias eam Oleo Sancto un-
xit; Et post hæc abijt, & illa convalescit. Ergo si post
convalescit, tunc non erat sana; si sana non erat,
utique adhuc erat infirma.

Tertio objecto de Unctionibus, quas ministrant
Græci cum Oleo Sancto personis sanitate pollenti-
bus in tribus illis casibus, seu temporibus supra con-
sideratis, respondet eruditissimus Theologus, ac Ca-
nonista simul, Dominus Jacobus Pignatellus in Jur.
Consult. tom. 8. consult. 84. num. 29. & seq. ubi
Unctiones illæ non sunt Sacramenta, sed Sacra-
mentalia, quæ sunt personis sanis illis penitentibus,
tamquam benedictiones quædam, habentes virtutem
expian-di venialia; (sicut in usu est apud nos Latino-
rum benedictio cum Aqua benedicta, & hujus re-
sponsionis auctorem nominat Arcudium libr. 5. de
Sacram. cap. 4. ut etiam notavi supra Decif. LXX.
num. 31. & 32. ubi retuli hanc responsionem Pi-
gnatelli. Nec impropria reputari debet hæc respon-
sio; quòd Oleum Sanctum infirmorum fit materia
Sacramenti, & materia Sacramentalium apud Græ-
cos; siquidem etiam in Ecclesia Latina Olea Sa-
cra deserviunt non solum pro materia Sacramentu-
rum, sed etiam pro materia Sacramentalium; nam
ut dixi de Confirmatione Decif. LIV. num. 8. & su-
pra Decif. LXX. num. 32. Sacrum Christiæ est ma-
teria Sacramenti Confirmationis, quod Episcopus il-
lud ministrat; & est materia Sacramentalium, quan-
do eodem Christum Sacra unguunt Altaria, Ec-
clesiæ, & Calices; necnon dum statim post datum
Baptismum pueri baptizati caput in vertice linunt;
quæ omnes Unctiones non sunt Sacramenta, sed
quædam Sacramentalia, & benedictiones ab Ec-
clesia institutæ.

Hinc desumere licet causam, propter quam Inno-
centius Papa VIII. in sua Constitutione circa Ri-
tus Græcorum, quæ incipit, Sub Catholice profes-
sione Fidei (quæ extat in primo tomo Bullarum Ro-
mani inter illas ejusdem Innocentii VIII. Constit.
XIV. & apud Quarantam in Summa Bullar. Verb.
Græcorum Ritus) Innocentius inquam VIII. non
proscripsit, nec damnavit unctioem, quam im-
ponunt Græci pro poenitentia iis, qui confessi sunt
peccata sua; sed tantum ordinavit, ne Unctio solum-
modo pro satisfactioe poenitentia per Confessores in-
jungatur; quapropter si simul cum Unctione Olei
San-

Sancti alia opera satisfactoria poenitentia fuerit
injuncta, ipsa Unctio toleretur; Scilicet
quia est quid Sacramentale habens aliquam vim sa-
tisfaciendi; ut latius differt Pignatellus d. consult.
84. num. 32. & 33. tom. 8. cupis interpretatio est
satis congrua, quamvis alii moderni Canonistæ, ac
Theologi eam non admittant, & prædictas Græ-
corum Unctiones tamquam manifestos abusus non
approbent; & Gonzalez in Comment. ad cap. Que-
situs. 14. de Verb. Significat. sub num. 2. ita scribit:
Improbanda est falsa Pietas quorundam Græcorum,
qui hoc Sacramentum conferunt bene valentibus, si
illud flagitaverint in remissionem peccatorum, ut
tradit Franciscus Richardus libr. de Exposit. ad In-
fulam S. Irenæi cap. 12. quam heteroclesim refert,
& reprehendit Theophilus Raynaud. tom. 16. in Ho-
terocli. punt. 12. fol. 164.

Porro adhuc ego censeo, non esse reputandas il-
licitas antedictas Unctiones Græcæ etiam sanis per-
sonis, vel modico aliquo dolore agitatiss imperitias;
dummodo eis non abstantur, sed cum debita rever-
entia illas expiant, ut Sacramentalia Ecclesiæ;
ea ratione, quia etiam in Ecclesia Latina antiquitas
erant in usu, ut testatur ex testimonio Arcu-
dii ipsemet Pignatellus in cit. tom. 8. consult. 84.
num. 30. his verbis: Constat, quòd Oleum benedi-
ctum soleret distribui etiam in medicinam corporalem;
quod cum in abusus tenderet, fuit prohibitum in
Concilio Maguntino sub Carolo Magno can. 24. his
verbis: Presbyteri sub sigillo custodiant Christum, &
nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficij donare
inde præsumant; quòd si fecerint, honore priventur.
Allegat deinde Arcudium libr. 5. de Sacram.
cap. 4. referentem exempla Sanctorum, qui Oleum
Sanctum adhibebant pro medicina alicujus dolo-
ris, vel levis infirmitatis; & præcipue celebre
18 factum S. Gotardi Episcopi apud Surlum tom. 7.
die 23. Maji. Qui justè Presbytero, ut Sacro Oleo,
quòd infirmorum dicitur, eum ungeret oculos, quæ
quidem Unctio, & Sancti Viri preces ab illo dolore
usque ad vitam finem eam (mulierem dolorificam) im-
munitem conservavit. Hujusmodi exempla plura
studiosus Lector reperiet in Sæculis Benedictionis
in Indice Morali Verb. Unctio. Sed recorderet eor-
um, quæ scripsimus supra Decif. LXIX. numer.
19. nempe, ut plurimum Oleum, quo Sancti ute-
bantur pro medicina ad curandos dolores, seu le-
ves infirmitates, non fuisse Oleum Sacramentum ab
Episcopo solemnè ritu in Feria quinta Cenæ Do-
mini; sed Oleum simpliciter benedictum; quod ob
reverentiam vocabatur Sacrum. Stat igitur, Un-
ctiones Olei Sacras, quas Græci imperiunt sanis,
vel poenitentibus, non esse Sacramenta; sed be-
nedictiones Sacramentales, nulliusque ponderis esse
rationem eorumdem Græcorum, quòd verba D.
19 Jacobi, infirmum quis in vobis? sint intelligenda
tam de infirmitate corporis, quam de infirmitate
animæ; quæ est peccatum; siquidem de sola cor-
poris gravi ægrotudine esse sumenda constat ex tex-
tu Græco tum Evangelii, tum Epistolæ S. Jaco-
bi; in utriusque enim Interpretæ ponit idem ver-
bum; quo usus est ad denotandam infirmitatem
Lazari Joan. 11. quæ certè fuerat corporalis; ut do-
cèd probat Gobatus d. tract. 8. numer. 836. & 837.
ubi alii Interpretes S. Scripturæ ita sentientes refer-
untur.

Quarto tandem objecto responderetur: Utique Dei-
param migrasse esse hæc vita non ex morbo aliquo,
sed ex vehementissima charitate in Deum, ut di-
20 ctum est antedecedit Decif. LXXVIII. num. 19. &
hac de causa plurimi DD. opinantur, eam non re-
cepisse hoc Sacramentum Extremæ Unctionis. Sed
essè illud receperit, cùm jam certa facta esset ab
Angelo de proximo ejus exitu ex hæc vita, ritè po-
tuit illud suscipere ex regula præcitata num. 11. & ex
De Sacramento in genere.

dicendis infra de senio consecratis, ac alitis, qui pro-
babilitè reputantur de die in diem morituri ob ni-
miam corporis debilitatem, de quibus Gobatus cod.
tract. 8. num. 840. & num. 852.

Quo ad Secundum genus personarum, quæ valide,
ac licite Sacramentum Extremæ Unctionis
veniunt muniende, illæ sunt, quibus mors immi-
net non ex intrinseca corporis ægrotudine, sed ex
aliquo extrinseco mortali accidente. De his per-
sonis Doctores dant exempla sequentia. Primò
de illis, qui ob fluxum sanguinis è naribus versan-
tur in discrimine vitæ. Gobat. d. tract. 8. num. 21
842. & num. 852. Secundo de Puerpera, quæ ob
partus difficultatem, ac nimios, & diuturnos dolo-
res constituta est in probabili periculo vitæ. Vi-
vald. in Candelabr. de Extr. Unct. §. de Suscipien-
tibus num. 3. Reginaldus lib. 38. numer. 68. Diana
part. 10. tract. 12. resol. 9. reposita in Coordinato
tom. 2. tract. 4. resol. 49. ubi concordantes allegat.
Gobatus in tract. 2. de Baptismo numer. 57. 247.
248. & 260. nec non in cit. tract. 8. à num. 843.
& seqq. ubi advertit, quòd non est unguenda
Oleo Sacro parturiens in ordinario partus periculo;
sed ubi illud fit ingens, & ex judicio Medicorum
agatur de discrimine vitæ. Tertio de quibusdam
casus mortaliter vulneratis, & de his frequentes sunt
casus in hac Urbe Patavina; ac non semel ego ne-
cessè habui Sacro Oleo linire vulneratos ab eorum
iusticiis, dum juvenis coadjuvabam R. D. Antonium
Palcheri de Castrofranco Virum pietate, ac
prudencia eximium Parochum S. Petri educatorem
meum; de his advertit Gobatus cit. tract. 8. num.
853. Quarto de illis, quos Vipera momordit, &
ex veneno mors imminet. Gobat. ibid. ea ratio-
ne, quia omnia venena sunt extimalia, & potissimum
viperaum, ut ostendit Zacchias in Q. Medicolog.
lib. 2. tit. 2. quest. 4. per totam, in qua refert va-
ria venenorum genera; & inter ea pilos filios, qui
assumpti in stomachum linunt venenosi, ac morta-
les. Quinto de oppressis gravi aliquo deliquio, qui
sensu amiserunt. Idem Gobat. d. tract. 8. num. 894.
& seqq. Sed attendendum judicium Medicorum,
vel ab experto Parocho observandum pulsus ejusdem
decumbentis; non enim omnia deliquia sunt morta-
lia, præcipue in mulieribus; ut sæpe in praxi ego
observavi. Sexto de timentibus propinquam apo-
plexiam; si tamen non levi, ac continuo morbo af-
flictantur; sed si sola dispositio corporis ad
illud supremum malum; de quo si vehemens suspi-
cium habeatur, satis erit, infirmum petere, ac desi-
derare hoc Sacramentum; sed differte ejus ministra-
tionem, vel ad tempus apoplexiæ, vel donec ma-
jora ejus indicia habeantur, ut differendo pro utra-
que opinione concludit idem Gobatus d. tractat. 8.
numer. 875. & 876. Septimo de percutibus ob
ebrietatem inadvertenter contractam. Dixi inadi-
vertenter, quia si aliquis voluntariè, aut ex habi-
tudo se inebriasset, & in mortis periculo incidit
set, neque Sacro Viatico, neque Oleo Sancto effect
dignus; ut fuse tractat Gobatus de Sacra Commun.
tract. 4. num. 194. & seqq. & etiam de Extr. Unct.
tract. 8. num. 832. & 833. nec non in Quinario
tract. 5. cap. 50. ubi num. 4. reddidit rationem; scilicet
quia talis ebrius voluntariè est in peccato
mortali, & si à Vino suffocetur, privandus est Ec-
clesiastica sepultura, ex text. & DD. ibi allega-
tis. Vice versa si ebrietates contracta sint involun-
tariè, & inculpabiliter, puta quia combibones Vi-
no immiserunt salem, ut notat Julius Clar. in
Praxi Crimin. libr. 5. §. in quest. 60. numer. 11.
& ibi Bajardus num. 41. aut bibit vinum generoso-
rum, vel meracum putans aqua mixtum; ut confide-
rat idem Gobatus d. tract. 4. num. 196. in his casibus
urgente discrimine vitæ, Oleo Sancto linendū,
ac si confiteri potest, audiendus, absolvendus.

qui est; cessanteque periculo vomitus communicandus, & si obeat, in loco Sacro sepeliendus. Gobatus in *Quinario diu. trañ. 5. cap. 50. num. 5.* & de *Communione trañ. 4. num. 197.* ubi subdit, quod in dubio præsumitur ebrietas esse involuntaria, quando accidit illi, qui nunquam, aut vix unquam fuit vino deditus; nam de nullo debemus facile præsumere delictum. *l. Merito. ff. Pro Socio.* Certè cum ebriosus opus est in Parocho magna prudentia, ne de facili præbeat Sacramenta cum eorum contemptu, irreverentia, vel nullitate; & e contrario, ne desit adiutorio etiam ebriosorum. In primis annis mei Sacerdotii quodam Vespere vocatus fui ad ministranda Sacramenta coquo N. N. Nobilis Veneti habitantis in hac Parochia S. Petri; asserbant enim conserui cum mori. Cucurri, reperi eum in lecto gemitibus animam ferè exhalantem. Clamabant conserui prædidi: citò ungetur Oleo Sancto, quia moritur. Ego steti strenuè, & interrogavi Coquam, an ultra solitum bibisset? Ille annuit. Ego addidi: mitte digitum in gutture. Ita fecit: & ecce copiosus vomitus magnæ quantitatis vini, quo ejecto à stomacho, cessavit infirmitas, & instantia Extremæ Unctionis. Ultimò, ungenti veniunt Oleo Sancto tum Phthilici, ac Hydropici, cum difficilis in eis sit respiratio; tum peste afflati, siue nimio lenio confecti; quia in his omnibus periculum est improvise mortis, & insperata suffocationis. Gobatus *diu. trañ. 8. de Extr. Unñ. num. 851. 852. & 853.*

Quò ad Tertium genus, morientium scilicet per manus carnicis, prout Reis accidit per Judices morti damnatis, Regula est à Doctoribus, & universali consuetudine approbata; quòd his Extrema Unctio non est ministranda; quia licet sint excentes ex hoc mundo, tamen non sunt infirmi, pro quibus hoc Sacramentum fuit institutum. S. Thom. in 4. *dist. 23. q. 2. art. 2.* Layman *lib. 5. trañ. 8. cap. 4. num. 4.* Tamburin. *de Extr. Unñ. lib. 6. cap. 12. §. 5. n. 2.* Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 11. n. 169.* Gonzalez in *cap. Questio. num. 2. de Verb. Signific. tom. 5.* & Mastrius *d. disp. 6. n. 104.*

Duo tamen casus notat Gobatus *diu. trañ. 8. num. 847. & 848.* in quibus etiam infelices Rei à carnifice trucidandi linitri possunt Oleo Sacro, & muniri hoc Sacramento. Primus casus est, si publicata mortis sententia, & adventiente die executionis eius, Reus vel obruncandus, vel suspendendus mortali febre, aliove gravissimo morbo afficiatur; tunc enim ultra Sacramenta Confessionis, & Eucharistie, etiam hoc Extremæ Unctionis debet eidem ministrari; verè enim eisdem infirmis, ac infirmitate periculosa laborat, ut ait Escobar *Probem. 30.* quem laudat, ac sequitur Gobatus *ibidem num. 847.* Alter casus est, quando Reorum, præcipue homicidarum, artus, brachia, femora, tibie, ac pedes franguntur rota ferro prominente armata. In hac carnificina, quæ legibus, & moribus Germanorum, ac Francorum recepta est, ac practicatur cum homicidis voluntariis, aliisque publicis latronibus, & viarum graffatoribus, sæpe accidit, ut Reus fragilis ossibus implexus rote post illum horrificam contractionem diu vivat, adeo ut etiam per triiduum animam agat, antequam expirat. In hoc casu sicuti licitum est tam secularibus, quam Religiosis solari miserum illum patientem; ita non censetur prohibendum eidem penitenti, & hoc Sacramentum Extremæ Unctionis flagitanti, illud ministrare, etsi fuit rote alligato; ea ratione, quia in tali casu supervientie post fracturam ossium Reus ipse morti proximus est ob vulnera suscepta, & ob ossifragium; ut considerant Palaus, ac Tannerus, quos citat, & sequitur ipsemet Gobatus *d. trañ. 8. d. num. 848.* cum duobus sequentibus; subdens in

nihilò offendi reverentiam Sacramenti exhibiti in illo patibuli loco, quia nullus planè locus determinatus est pro hac unctione; neque Magistratum secularè posse id prohibere; cum sit actio merè spiritualis, nihil præjudicans publicæ iustitiæ. Tali carnificina, ait P. Gobatus, vidisse puniri mulierem lacertolam, quæ aliam in domo propria ex insidiis trucidaverat, cremio in caput impacto. Perantiquum fuisse rotarum supplicium docet Cælius Rhodigin. *Leñ. antiqvar. lib. 10. cap. 5.* & multiplex generis rotas fuisse notat Emin. Cardin. Baronius in *Martyrolog. Rom. die 13. Aprilis.*

DECISIO LXXX.
ARGUMENTUM.

Offenditur, quòd infirmus priusquam ungetur Oleo Sancto debet Sacramentaliter confiteri peccata sua; discutitur utilis Questio, quid agendum à Parocho, si infirmus sensibus sit destitutus? vel in amentiam prolapsus, itaut non possit confiteri? Refertur duplex stultitia: Una spiritualis, & meritoria, quam Servi Dei affectarunt, inter quos B. Simon Salo, B. Jacobonus, & S. Philippus Neriùs: altera naturalis, & miserima, cujus septemdecim species dignè scitu numerantur. Tandem resolvitur, Extremam Unctionem esse dandam infirmis amentibus, qui antea habuerunt usum rationis; non etiam stultis à nativitate, nisi sub conditione: si aliquo modo deliquisti.

SUMMARIUM.

- 1 Dolor de peccatis requiritur in infirmo, ut Oleum Sanctum recipiat.
- 2 Confessio mortaliùm debet præcedere Extremam Unctionem.
- 3 Publicis Penitens non inungitur Oleo Sancto ante reconciliationem.
- 4 Excommunicatus est priùs absolvendus, dein Oleo Sancto ungendus.
- 5 Sensibus destitutus infirmus an inungendus?
- 6 Peccatori notorio sensibus destituito an Extrema Unctio sit danda?
- 7 Argumentum à denegata sepultura Ecclesiastica ad denegationem Sacramentorum non valet.
- 8 Amentibus, seu furiosis an danda sit Extrema Unctio.
- 9 Stultitia duplex, spiritualis, & Sancta: naturalis & miserima.
- 10 Servi Dei se stultos fingunt.
- 11 B. Simonis Salo fida stultitia.
- 12 B. Jacoboni Tudertini sanctissima dementia.
- 13 Cornelii à Lapide encomium stultitiæ Sanctæ.
- 14 S. Philippus Neriùs demens reputari curabat.
- 15 Amentes unde dicit?
- 16 Stultitiæ naturalis causa quænam sit?
- 17 Species plurimæ stultitiæ naturalis.
- 18 Ira est species dementiæ.
- 19 Metus gravis causat dementiam.
- 20 Luxurie impetus facit insanire.
- 21 Amor nimis demencia est.
- 22 Ebrii dicuntur insani.
- 23 Dormientes loquendo, ac deambulando sunt dementes.
- 24 Sopore gravi oppressi reputantur amentes.
- 25 Apoplexia auferit rationis usum.
- 26 Epileptici censentur dementes.
- 27 Phrenesis species stultitiæ.
- 28 Exstatici vocantur dementes.
- 29 Lycambropia species stultitiæ. Et quæ?

30 Hydro.

- 30 Hydrophobi qui sint? Et quomodo amentes?
- 31 Demoniaci, ac Fanatici qui dicantur?
- 32 Tarantule mosus facit insanire.
- 33 Morti proximi insanire solent.
- 34 Hypochondriaci dicuntur dementes.
- 35 Uterius furor in mulieribus causat insaniam.
- 36 Extrema Unctio requirit devotionem in suscipiente.
- 37 Sacramentum non datur, ubi ejus effectus non operatur.
- 38 Morienti modus, quem pius Vir dicebat eligendum sibi.
- 39 Amentes, qui antea usum rationis habebant, ungenti Oleo Sancto.
- 40 Amentibus à nativitate num danda sit Extrema Unctio?
- 41 Amentes à nativitate cur nullum peccatum committant?
- 42 Stulti à nativitate an saltem venialiter peccare possint?
- 43 Diaboli tentationibus an dementes possint consentire?
- 44 Stulto à nativitate Extrema Unctio dari potest sub conditione, S; aliquando deliquisti.

Quinta, & ultima conditio necessaria in homine Viatore, Baptizato, Usam rationis habente, ac infirmo, mortique probabiliter proximo, ut valide, ac licitè recipere possit Sacramentum Extremæ Unctionis est, ut sit penitens, ac dolens de suis peccatis. Ex hac conditione deducitur, debere Parochum antequam hoc Sacramentum ministrare infirmo, ejus Confessionem Sacramentalem audire, & absolutionem dare; potissimum si in illa infirmitate ipsemet infirmus non fuisse confessus peccata sua: adeo ut spectet ad Parochum ipsum advertere, ut nemò confitus peccati moralis Extremam Unctionem recipiat, nisi priùs animam per confessionem emundaverit. Hac obligatio probatur. Primò ex Concilio Moguntino celebrato Anno 847. in quo cap. 26. sic statutum fuit: *Ab infirmis in mortis periculo positis per Presbyteros pura inquirenda est confessio, ut idè secundum canonicam auctoritatem, eum Unctio Dei animati, secundum statuta SS. Patrum communione Viatici reficiatur.* Secundò, quia sic legitur dispositum in antiquissimis Ritualibus, quos allegat Ivenin *d. Comment. de Extrema Unctio. quæst. 10.* ubi Codex Siculus Barberinus, & vetus Pontificalis Anglicanum. Tertio, ex Ritu conferendæ Unctionis Extremæ ex Codice Tiliiano relato per Menardum in *Notis ad lib. Sacramentor. S. Gregorii Pape pag. 340.* ubi hæc habet: *Antequam ungetur infirmus, confiteatur omnimodis Deo; & Sacerdoti suo puriter omnia peccata sua, & reconciliationem ab eo precipiat plenam: ut ulceribus vitiorum per confessionem purgatus, adaperitis, dignis proficiat ei unctio spirituali medendo sequitarius peccatorum interitus latitante.* Quarto, quia Extrema Unctio sicut dari non potest publico penitenti, nisi priùs reconcilietur, ut ex cap. 8. *Concilii Regatiensi*, quod citatur ab Emin. Cardin. de Lauræa in *Epitome Canonum Verb. Extrem. Unñ. in fine*, neque excommunicato, nisi priùs absolvarer ab excommunicatione, ex DD. allegatis per Salmaticenses *de Sacrament. in gen. trañ. 7. cap. 4. num. 7.* & per Tambac. *de Extrem. Unñ. cap. 2. §. 4. num. 5.* ita impertiri non debet peccatori, nisi præmittat suam Sacramentalem Confessionem. Quintò, quia sic etiam ordinavit S. Carolus Borromeus in suis Conciliis Provincialibus *Ad. part. 4. in Institut. de Extrem. Unñ.* his verbis: *Quoniam nihil alicujus peccati conscientia impedit, quam mortaliter alicujus peccati conscientia; idcirco in eo ministrando usum, conclusivè hanc tenetis, ut si stulti potest, infirmum non ante ungas, quam peccata Sacramentis in genere.*

causa confessus sit. Ex his doctrinis colligende sunt responsones, quæ dari debent duabus sequentibus instantiis.

Prima est, quomodo gerere se debeat Parochus ex improviso vocatus ad inungendum Oleo Sancto infirmum, qui jam sensibus est destitutus ob reatum symptomata Apoplexiæ, aut alterius mortiferi accidentis? In hoc enim casu distinguere oportet: vel moribundus ille, qui amisit sensus, erat homo timoratus, & saltem in Paschate anteaquò confessus, ac Sacra Eucharistia resectus fuerat? & in hoc casu Parochus debet eum absolvere Sacramentaliter sub conditione *si capax es*, & subindè ei ministrare Sacramentum Extremæ Unctionis ex illo fundamento, quod ego firmavi in meis Decisionibus de Sacramento Penitentia Decif. 32. sub num. 7. videlicet, de quocumque Christiano presumi prudenter posse, in periculo, ac articulo mortis constituto, quòd interius in corde suo doleat de peccatis, flagitet omnia Sacramenta Ecclesie, ut æternam salutem anima ejus consequatur, quæ præsumptio sufficiens reputatur à Theologis pro ministrandis eidem in extremo laboranti prædica Sacramenta, ut docent Salmaticenses ubi supra *trañ. 6. cap. 8. num. 153.* Pellizzarius in *Man. Regul. tom. 1. trañ. 5. cap. 3. num. 60.* Lestom. *2. trañ. 8. cap. 3. num. 114.* Tamburinus in *Methodo Exped. Confess. lib. 2. cap. 10. §. 1. num. 11.* ac alii plures, quos congerit, ac sequitur Diana *part. 9. trañ. 6. resol. 20.* quæ reposita invenitur in opere Coordinato *tom. 1. trañ. 4. resol. 65.* Vel ipse moribundus est notorius peccator, puta quia perdidit erant moribus, vivens vel in concubinato, aut in adulterio, aut in inimicitis, similibusve flagitiis, & in hoc casu secundum plurimos DD. quos cumulat Diana *part. 3. trañ. 3. resol. 8. à num. 5.* & sequ. collocata in *Coordinato tom. 1. trañ. 4. resol. 63.* abique Sacramentis est omninò dimittendus; quòd rigorosè sustinent alii allegati à Gobato in *Theol. Experim. trañ. 7. num. 602.* ubi ait, *Negandum est, licitè, valide absolvi eum, de quo constat non edidisse ulla signa penitens absolutionem. Epsi constet fuisse virum bonum.* Undè multò minus si laboret infamia malæ vitæ: Nihilominus etiam in tali homini, & in tali casu absolutionem Sacramentalem sub conditione prædita *si capax es*; & subindè Unctionem Extremam esse ministrandam concedunt plurimi, ac magne auctoritatis Doctores congesti à Diana, qui recessit à prima sua contraria opinione *part. 9. trañ. 6. resol. 20.* existente nunc in *Coordinato diu. tom. 1. trañ. 4. resol. 65.* Imò Tamburin. *d. libr. 2. de Expedit. Confess. cap. 10. §. 1. num. 12.* non esse illicitam Sacramentorum ministracionem prædicto moribundo asserit, quamvis destitueret sensibus actualiter peccando; est enim piè credendum, quòd etiam pessimus peccator sentiens se vicinum morti conetur actus saltem attritionis in corde elicere, ut salvetur. Er idè Oleo Sacro esse inungendum tenet *d. cap. 2. §. 4. num. 2.* & ibi Gominch de *Extrem. Unñ. disp. 19. à num. 19.* & Suarez *disp. 42. scil. 1. num. 10.* Porro P. Gobatus subdit *d. trañ. 7. num. 603.* id non esse penitus impossibile; sed necesse, quomodo possit praticari cum eo, qui obiret vulneratus in duello, aut blasphemando, vel aliquod grave facinus committendo, prout si moriens esset publicus Usurarius, aut alius similis, cui Ecclesia denegat Ecclesiasticam sepulturam; ut latè probat Samuelius *de Eccles. Sepul. trañ. 2. contr. 7. conclus. 7. conclus. 17.* nec non *contr. 8. conclus. 1. 2.* & sequ. Sed est advertendum, non valere argumentum à denegata sepultura Ecclesiastica ad denegationem Sacramentorum, siquidem illa non conceditur in poenam tantum; hæc non denegantur, si sint signa, vel præsumptio penitentia facinorum, quorum causa in foro extertori extra locum.